42

D E

# SECRETARIO

## SACRÆ CONGREGATIONIS INDICIS

LIBRI DUO

*In quorum primo de ejuſdem origine, prærogativis, ac muniis agitur; in altero eorum ſeries continetur, qui eo munere ad hanc uſque diem donati fuere.*

AD REVERENDISSIMUM PATREM

FR. ANTONINUM BREMOND

ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALEM MAGISTRUM

AUCTORE JOSEPHO CATALANO


ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS PRESBYTERO.



ROMÆ MDCCLI.

TYPIS ANTONII FULGONI APUD S. EUSTACHIUM.

*SUPERIORUM FACULTATE.*



REVERENDISSIMO PATRI

# FR. ANTONINO BREMOND

## ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALI MAGISTRO

JOSEPHUS CATALANUS
SALUTEM



*Ublici juris facturus Tractatum*, De Secretario Sacræ Congregationis Indicis, *ejusque origine*, *& muniis, atque prærogativis, Tuo & hunc quoque inclyto Nomini, Reverendissime Pater, dedicandum censui. Quum enim id Munus a sua prima institu-*

*tione ad hæc usque tempora hæreat, hæsurumque sit semper, Deo favente, præclarissimo, & de Sede Apostolica optime merito Ordini Prædicatorum, cujus Tu supremum regimen tenes, jam Tibi debebatur Liber, qui seriem, & gesta egregia illustrium Virorum comprehendit, quos ex eodem Ordine Summi Romani Pontifices ad eam Dignitatem evexere. Quum autem is, qui nunc eo Munere summa cum laude fungitur, præstantissimus Pater Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Cremonensis, quum Tui esset Socius pro Italiæ Provinciis, a Regnante Pontifice Maximo BENEDICTO XIV. veræ virtutis æstimatore, plaudente Urbe, ac Litteraria Republica, eo honore decoratus sit, vel ex hac alia ratione coactum me sensi ad dedicandum Nomini Tuo hoc Opus, quod quidem potissimum in gratiam totius Sacræ Indicis Congregationis, cui ab omnibus veneratio, & obedientia, ob supremam ejus in Orbem Catholicum authoritatem, eidem a Christi in Terris Vicario collatam, debetur, ultro suscepi. Gratulor vero Tibi, Reverendissime Pater, quod ea præditus sis prudentia in eligendis Tibi Sociis in supremi regiminis ministerio, ut ex eis non modo laudatus Pontifex Ricchinium ad Secretarii Sacræ Congregationis Indicis Munus adlegerit, sed & sapientissimus Sardiniæ Rex præclarissimum Virum Patrem Fr. Pium Nattam Episcopum Albæ nominarit. Tanta profecto est Tua in regendo universo Prædicatorum Ordine sapientia, ut fama illius toto pene Orbe Terrarum diffusa, ædificato nuper, atque aperto magnifico Berolini Templo, ubi Catholicæ Religio-*

*nis*

*nis exercitationes diu intermissæ, publice peragantur, non alios Serenissimus Princeps ibidem voluerit Sacramentorum Ministros, quam Tui Prædicatorum Ordinis Fratres, Halberstadiensis Cœnobii alumnos, quod istorum scilicet, qui Berolini Catholicis præsto erant, pietas, doctrina, prudentia, integrique mores omnibus explorati essent, atque perspecti, solitique semper fuissent Viri ipsi eximii, non sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quærere. Quod quidem Tuo zelo, Tuæ vigilantiæ, eximiæ pietati Tuæ, pii, doctique Viri adscribendum censent. Faxit Deus, ut Dominicanæ Familiæ, cui præsides, & Catholicæ Religionis, cui adlaboras, incremento, quamdiutissime vivas incolumis.*

# IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.
F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

* ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** *

# IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

## APPROBATIO I.

QUod, mandante Reverendissimo Patre Josepho Augustino Orsi Sacri Palatii Magistro, sedule expendi ms. aliud Patris Josephi Catalani, quem vel tantum nominasse, laudasse est, plane orthodoxum eruditissimum Opus, cui Titulus: *De Secretario Sacræ Congregationis Indicis Libri duo*, tam prudenti est œconomia compactum, taliumque ornatum rerum notitia, ut qui legit, non modo oblatam in eo sibi videat numeris omnibus absolutam historiam Dignitatis adeo illustris Apostolicæ Sedis Ministri, verum etiam tradita documenta, per quæ luculentius fiat, quanta sit venerabilium Cardinalium Sacram Indicis Congregationem conflantium in discernendis, proscribendisque Libris noxiis maturitas, & solertia, quam certo eorum Decreta Decretis annumeranda veniant Romanorum Pontificum, quam isti in deligendo Secretario dictæ Congregationis ex inclyta magni Patriarchæ Dominici Familia sapientes, constantesque fuerint. Dubitandum propterea non est, quin luce publica dignissimum sit, & haberi debeat. Si enim manibus omnium versabitur, peculiaris erit utilitatis Ecclesiæ Catholicæ. Scilicet quotquot vere obsequentes, ac humiles ejusdem se esse filios gloriari poterunt

runt in Domino, instructiores, alacrioresque efficiet ad oppugnandas validius, contemnendasve fidentius alias, si quæ forte eruperint posthac, scriptiones similes nefariis illis Urbe, atque Orbe fere toto studiosissime nuper disseminatis Literis livoris, contumeliarum, calumniarumque plenissimis, quibus vafer quidam, Doctor, si larvæ fidas, Sorbonicus, si loquentem, conantemque attendas, nequioris Doctrinæ, & Moralis neutiquam Christianæ Professor, veteres damnati Authoris libelli de immunitate Ciriacorum inscripti, aliorumque maledicorum, captiosorumque hominum nenias recinens, ausus est per latus hodierni doctissimi, & religiosissimi Secretarii, tantopere de Romana, atque universa Ecclesia meritum Ordinem Prædicatorum, laudatam Congregationem, quodque scelestius est, ipsum sacratissimum Vicarii Jesu Christi caput insidiose non minus, quam impudenter impetere. Ita censebam Romæ x. Kal. Febr. MDCCLI.

*Petrus Morettus Canonicus insignis Basilicæ S. Mariæ trans Tyberim.*

## APPROBATIO ALTERA

QUa tandem inopinata bonorum siderum consensione factum fuerit, ut, quum jam olim in vetitorum Librorum Indicem operam contulerint suam Viri duo ex Augustiniana familia celeberrimi, Hieronymus Cardinalis Seripandus, & Christophorus Patavinus, nunc demum & hac ætate unum aliquem ex ipso Ordine selectum videam, cui de istiusmodi Indicis historia publicum aliquod, ac solemne testimonii genus ferendum sit, prorsus ignoro. Id unum scio, non ita diu ante, jubente Reverendissimo Patre Sacri Palatii Magistro, traditum mihi fuisse novum, ac plane egregium Opus inscriptum, *De Secretario Sacræ Congregationis Indicis*, a Viro Cl. Josepho Catalano Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbytero diligenti studio, & magna cum eruditionis copia compo-

po-

positum ea lege, ut illud ad examen vocarem; tum quæ mea sententia esset, caste, sancteque proferrem. Hanc ego provinciam ea, qua par erat, animi integritate absolvisse me puto. Vidi, legi, expendi Opus distributum in Libros omnino duos. Nihil in eo deprehendere mihi licuit, quod aut Catholico homini displicere debeat, aut a Christianis moribus, Fideique præceptis alienum videri possit. Quinimo magnam inde utilitatem universæ Christianæ Reipublicæ expectandam esse conjeci. Adeo enim sincere, & acurate originem, munus, curam, diligentiam, fidem, pietatem, doctrinam, ac religionem eorum præstantissimorum hominum, qui ex inclyta Dominicana Familia a Secretis amplissimæ hujus Congregationis præsunt, exponit, ut quum hæc omnia boni quique, & probi Viri comperta habuerint, fore confidam, ut multo pronius, ac religiosius quam antea, Congregationis Indicis Decreta, & auctoritatem excipere, ac revereri velint. Postulat ergo & argumenti præstantia, & rerum, de quibus agit, utilitas, ut tam bonum Opus bonis auspiciis utatur, & prælo quamprimum Deo opitulante tradatur. Ita censebam. Romæ Idibus Februarii anno MDCCLI.

*F. Augustinus Antonius Georgi Augustinianus Publicus in Romano Archigymnasio Sacræ Scripturæ Interpres, & S. C. R. Consultor.*

I N-

# INDEX CAPITUM

## LIBRI I.

C A P. X.

*De summa Secretarii cura, ubi agitur de judicio Librorum magni momenti, & de clausula*, donec corrigatur, & donec expurgetur, *ab eodem ex Decreto Sacræ Congregationis apponi solita in quorundam prohibitione Librorum.*

C A P. XI.

*Criminatio, & querimonia adversus Sacram Congregationem Indicis, ejusque Secretarium refellitur, quod Librorum prohibitio fieri soleat Auctore inaudito, eique notam infamiæ inuret.*

C A P. XII.

*De œconomia Apostolicæ Sedis in vetandis aliquando Libris sanam etiam doctrinam continentibus, ob eorum lectionis abusum.*

C A P. XIII.

*De veneratione Decretis Sacræ Congregationis Indicis debita, eorumque obligatione ubique, & apud omnes.*

C A P. XIV.

*De Secretarii Indicis cura in Libros, Typographosque, qui a Libris, quos iterum imprimunt, multa fraudulenter adimunt.*

C A P. XV.

*De Facultate Secretarii Indicis in expediendis licentiis pro legendis Libris probibitis ad tempus triennii, veteribusque prorogandis ad aliud triennium; & de Regulis ab ipso ea in re servandis.*

C A P. XVI.

*De Secretarii Indicis munere in publicatione Decreti vetitorum Librorum, & de impudentissimo pseudodoctoris Sorbonici mendacio, quod perspicuo testimonio Cardinalis Quirini egregie refellitur.*

C A P. XVII.

*De munere Secretarii Indicis erga Consultores ejusdem Congregationis.*

C A P. XVII.

*De habitatione, ac Sociis, & emolumentis Secretarii Sa-*

CAP.

# LIBER I.

## DE SECRETARIO SACRÆ CONGREGATIONIS INDICIS

### CAP. I.

*Prima prohibendi Libros pravam doctrinam continentes origo.*

I. Ervetuſtus eſt Eccleſiæ mos, & Chriſtianæ Religioni coævus damnandi improbatæ lectionis Libros. Apoſtolorum tempore, refert Sanctus Lucas Actorum Cap. XIX. multos ab Apoſtolis converſos, Libros curioſos, & vanos contuliſſe, & combuſſiſſe coram omnibus; aitque S. Clemens, ſive alius antiquiſſimus Scriptor Lib. I. Conſtitutionum Apoſtolicarum, Cap. VII. Apoſtolos prohibuiſſe initio Fidelibus Libros gentilium, & falſorum Prophetarum. Scribit etiam Euſebius Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. VI. Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum, qui claruit anno circiter CCL. a Fidelibus reprehenſum, quod Libros hæreticorum legeret.

II. Crevit deinde magis magiſque Fidelium zelus contra ipſos hæreticorum Libros, curabantque maxime Eccleſiæ Præſules, in eos Libros inquiri, ne ſimpliciores legentes impia ſcripta a recta Fide declinarent. Libri quidem Arii ab Epiſcopis in Oecumenico I. Concilio Nicæno damnati ſunt, antequam Reſcriptum de ea re edidiſſet Conſtantinus Magnus datum ad Epiſcopos, & omnes Fideles ex Nicephoro Lib. VIII. Cap. XVIII. Conſtantinus au-

tem id executioni mandari jussit, proposita pœna capitis, siquis Libros Arii occultasset, ut patet ex ejus epistola apud Socratem Lib. I. Cap. VI. & Nicephorum Lib. VIII. Cap. XXV. Scribit vero etiam Socrates Lib. I. Cap. XXIV. Marcellum Ancyranum damnatum fuisse, quod Libros suorum errorum comburere noluisset; non enim recipiebantur ad pœnitentiam hæretici, nisi prius Libros suos combussissent.

III. Per eadem quoque tempora S. Epiphanius in Synodo Cypri coacta vetuit, Libros Origenis legi, ut memoratus Socrates Lib. VI. Cap. IX. Historiæ suæ refert; permisitque Concilium Carthaginense IV. anni CCCXCVIII. Can. XVI. solis Episcopis, ut tempore necessitatatis Libros hæreticorum legant. Non diu postea cum Nestorii hæresis in Concilio Ephesino damnata fuisset, Libri quoque ejusdem Nestorii in ipso Concilio interdicti fuere, & a Theodosio Imperatore exuri jussi, ut Liberatus Diaconus refert Cap. X. sui Breviarii, extatque adhuc Theodosii Sanctio in Lege, *Damnato*, Cod. *De hæreticis*. Circa idem tempus prodiit Lex Honorii, atque Theodosii, qua jubentur Mathematici omnes suos Libros, in quibus aliquid est adversum Catholicæ Religioni, sub oculis Episcoporum cremare, uti videre est in Lege, *Mathematicos*, Cod. *De Episcopali audientia*. Pari ratione in Concilio Chalcedonensi damnantur Libri Eutychetis, & ab Imperatoribus Valentiniano, & Martiano, severa Lege prohibetur, ne ullus eos legere, aut habere audeat, sed omnes diligentissime quæsiti crementur, ut patet ex Concilio Chalcedonensi Actione III. & ex Lege, *Quicumque*, §. *Nulli*, & §. *Omnes*, Cod. *De hæreticis*.

IV. Notat hæc eruditissimus Bellarminus in suis Controversiis, Lib. III. *De laicis*, Cap. XX. viderique de eadem re possunt Altaserra, & Filesacus, quorum primus Lib. IV. Vindiciarum Ecclesiasticæ jurisdictionis Cap. III. variis allatis exemplis diserte ostendit, *ad Episcopos pertinere examen, & censuram librorum conscriptorum de Fide, & Religione*. Alter vero in Libro, *De Sacra Episcoporum auctoritate*, Cap. I. §. 7. expresse etiam docet, *Librorum im-*

*improbatæ lectionis, & qui scævum aliquod dogma contineant, ut loquuntur Imperatores, jus ad Episcopos semper spectasse.* Sed & illud præsertim notandum, quod post recensitum Constantini Magni Edictum contra Arii Libros idem Auctor subdit: *Oportuit siquidem Libros istos a Sacris Ecclesiæ Doctoribus, & Pastoribus disquiri, atque expendi, tum ob pravam doctrinam rejici, & damnari, deinde ab Imperatore Edicto publico, flammis ultricibus, addici, aut saltem eorum lectionem interdici.*

## CAP. II.

*De vigilantia Summorum Romanorum Pontificum in deposito Catholicæ Fidei conservando, & hæreticorum libris profligandis.*

I. SAcrosanctum Fidei depositum, sine qua Deo placere, aut æternam salutem consequi nemini licet, ut salvum in Ecclesia Dei perpetuo conservaretur, posterisque inviolatum traderetur, pastoralem Romanorum Pontificum vigilantiam summo semper studio, & contentione laborasse, sapientissime affirmat Clemens Papa VIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *Sacrosanctum*, edita die XVII. Octobris anni MDXCV. legiturque initio sui Indicis, quem Clementinum appellant: *Ipsi enim*, Romani scilicet Pontifices, *a Cristo Domino*, ut laudatus Clemens Papa mox subjicit, *hujus tam pretiosi depositi Auctore, & illud fideliter custodiendi, & bonum semen Patrisfamilias ab inimici hominis zizaniis discernendi, & Ecclesiam salutari doctrina ædificandi, præcipuam curam, summamque potestatem in Beatissimo Petro Apostolorum Principe accepere.* Memorat & mox idem Clemens eam in rem exempla S. Gelasii I. & Gregorii IX. Sed jam longe ante ipsos, consuevisse Romanos Summos Pontifices Librorum hæreticorum pravam, ac perniciosam doctrinam continentium lectionem vetare, docet nos celebre S. Leonis exemplum, ac testimonium, qui in Epistola XCIII. ad Turribium Au-

ſtrienſem Epiſcopum Cap. xv. & xvi. interdixit lectionem Librorum hæreticorum quorundam, & addit, eos Epiſcopos, qui eos in domibus Fidelium haberi ſinerent, hæreticos cenſendos.

II. Sed audiamus nunc ipſa S. Pontificis verba: *Curandum ergo eſt, & Sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falſati Codices, & a ſincera veritate diſcordes, in nullo uſu lectionis habeantur. Apocryphæ autem Scripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolum interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, numquam tamen vacuæ ſunt venenis, & per fabularum illecebras, hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione ſeductos laqueis cujuſcumque erroris involvant. Unde ſiquis Epiſcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub Canonicorum nomine eos Codices in Eccleſiis permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione corrupti, hæreticum ſe noverit judicandum; quoniam qui alium ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat.* Hæc & alia S. Leo Magnus Pontifex Maximus in epiſtola xciii. ad Turribium, quæ legi quidem ab omnibus poteſt; quod icirco dixi, quod nuperus Auctor notitiæ Romani Indicis Librorum prohibitorum, quæ extat in Libro, cui Titulus, *Della Biblioteca volante*, *Scanzia* xxiii. Romæ edito anno MDCCXXXIX. pag. 114. tantopere Codicem Vallicellanæ Bibliothecæ ſeculo ix. exaratum exaltet, ex quo locum ipſum fere ad verbum S. Leonis deſcripſit, gratiaſque agere eruditiſſimo Joſepho Blanchino Congregationis Vallicellani Oratorii Presbytero minime omittat, quod ipſi eam notitiam dederit. Sane agendæ potius gratiæ ipſi Blanchino ob alia beneficia ab eodem Chriſtianæ, ac Litterariæ Reipublicæ collata, ob editionem ſcilicet tot mſſ. Codicum, quos & egregiis Præfationibus, ac Notis illuſtravit, ac præſertim ob vulgatum ſuperiori anno Opus inſigne, quod inſcriptum eſt: *Evangeliarium quadruplex*.

CAP.

## CAP. III.

*De aliorum Pontificum cura in discernendis Libris, quorum lectio a Fidelibus esset vitanda, ac præsertim de Gelasii Papæ I. in eam rem Decreto.*

I. QUam vis & Sacræ Synodi, & Summi Pontifices jam olim passim Libros hæreticos, pravosque damnarint, sunt tamen, qui putant, hujusmodi Librorum Catalogi, seu Indicis usum cœpisse labente seculo V. ubi, ut ajunt, Gelasius Papa in Concilio LXX. Episcoporum habito Romæ anno CDXCVI. hæreticorum Indicem proposuit, idque notavit Bellarminus Lib. III. *De laicis*, Cap. XX. Num. VI. sic inquiens: *Gelasius in Concilio* LXX. *Episcoporum, ut habetur Distinctione* XV. *Canone*, Sancta Romana, *proposuit Indicem hæreticorum, quorum Libros a Fidelibus vitandos esse dicit*. Verum, ut ex verbis Decreti manifestum est, in eo quidem dumtaxat agitur de lectione publica, sive de lectione in Ecclesia tempore Divini officii, ad instructionem, & ædificationem populi. Postquam enim Acta Martyrum multis encomiis memorata Romana Gelasii Synodus extulisset, ita subjicit: *Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur*. Atque hæc satis ostendut, quod alias notavit Vanespen Tomo I. Juris Ecclesiastici univerci, Titulo XXII. Cap. IV. *hoc unum voluisse Synodum, a publica lectione, & Divino Officio amovere, quicquid vel speciem falsitatis, aut aliquam fabulæ mixturam habere videbatur*; *quod adhuc manifestius circa finem Decreti indicatur his verbis*: Ceterum qui Libri in Ecclesiasticis per anni circulum a nonnullis legantur, pro Fidelium ædificatione, adnotandum censuimus.

II. At vero probari adhuc potest Bellarmini opinio ajentis, Gelasium Pontificem proposuisse Indicem Librorum,

rum, a quorum lectione deberent Fideles abstinere; id enim non obscure innuit Clemens Papa VIII. ubi in citata sua Constitutione, quæ incipit, *Sacrosanctum*, sic inter alia inquit: *Quo circa sanctæ memoriæ Gelasius Primus, & Gregorius IX. aliique complures Romani Pontifices Prædecessores nostri, zelo zelati pro Domo Domini exercituum, ut hanc Fidei Catholicæ, doctrinæque integritatem, salvam, incorruptamque in Ecclesia Dei retinerent, Apostolici animi magnitudine, pro muro Domus Israel adversus ejusdem Fidei hostes, se ipsos opponentes, ne illorum dolis, & insidiis imprudentes, & simpliciores homines caperentur, lucem a tenebris, prava a rectis sejunxerunt, quæ sequenda, quæ cavenda essent, Christifidelibus declararunt; probatos, laudabiles, orthodoxos libros ab adulterinis, perniciosis, & apocryphis, singulari diligentia distinxerunt; postremo hæreticorum impia dogmata, & noxia, ac venenata scripta, Conciliorum Decretis, Pontificiis Constitutionibus, aut alio opportuno censuræ genere condemnarunt.*

III. Sane uti post alios notat Pagius in Vita S. Gelasii Papæ I. Num. IV. Gelasius ipse in Autumno anno CDXCV. vel verosimilius anno CDXCVI. secundam Romæ Synodum celebravit. Cum enim Ecclesia jam a pluribus annis, multis referta Libris apocryphis medicam manum averet, quæ sinceras a supposititiis discerneret, laudatus Pontifex convocato Romæ Concilio, ordinem librorum, quem Romana Ecclesia susciperet, aut detestaretur, vel dubios tantum haberet, digessit; Decretumque illud de Scripturis, & Opusculis Sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur, jam valde nostri præsertim temporis hæreticos urget, qui Traditionem rejiciunt, & Librorum Canonicorum numerum pro libito, ac sectarum suarum commodo mutilant. Job enim, Tobiæ, Judith, Machabæorum Libri, Epistola ad Hebræos, Apocalypsis Joannis, Petri Epistolæ II. Joannis III. ac Judæ I. in eodem Decreto memorantur. Uno verbo omnes tam Novi, quam Veteris Testamenti Libri.

IV. Itaque Catalogus, sive Index ille Librorum a Gela-

lasio Papa in prædicta Synodo Romana propositus, nequaquam dici potest *Index librorum prohibitorum*, juxta usitatam modernam phrasim, nimirum, Index exhibens Libros omnibus tam privatim quam publice legi prohibitos, qui quidem Librorum Index ante medium circiter seculum decimum sextum minime reperitur. Tum enim cum invalescentibus Lutherana & Calviniana hæresi, Libri plurimi mentito nomine Auctoris, atque hæretico fermento conspersi ederentur, qui nec facile a Libris Catholicis discerni possent, atque hinc multi simplices incauta horum Librorum lectione seducerentur, varii cœperunt a Theologis confici Catalogi, seu Indices Librorum, in quibus ipsi notabant Libros, quos vel ab hæreticis confectos, vel hæresi consperſos credebant. Rogatu primum, ac mandato Caroli V. Imperatoris Facultatem Theologicam Lovaniensem confecisse Indicem Librorum hæreticorum, & de hæresi suspectorum, qui & auctoritate ejusdem Caroli anno MDXLVI. publicatus fuit, docet idem Vanespen loco citato Num. v. ubi & illud subdit, quod cum assidue plures hæreticorum Libri prodirent, pluresque hæresi respersi notarentur, rursus alium fusiorem Librorum Indicem Sacra ipsa Facultas continuavit, quem addito speciali Edicto publicari idem Imperator Carolus V. mandavit anno MDLVI. Videri hi Indices possunt una cum Cæsaris Edictis in prima Parte Edictorum Flandriæ Lib. I. Rubrica VII.

## CAP. IV.
### *De primo prohibitorum Librorum Indice suprema Pauli Papæ IV. auctoritate confecto.*

I. At vero cum isti Indices non essent summæ auctoritatis, quæ ubique Fideles obligaret, Libri etiam hæreticorum Italica lingua exarati in Italiam disseminarentur, zelantissimus Christianæ Catholicæ Religionis Paulus IV. Pontifex Maximus præcepit anno MDLVII. iis, qui Sacræ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem erant Romæ præpositi, ut & ipsi Indicem Librorum prohibitorum conficerent, confectusque fuit prædicto anno MDLVII.

ut

ut tradit ad ipsum annum Spondanus Num. v. ubi hæc habet: *Cum vero non minus fere idem Pontifex inter bellica curaret Ecclesiastica, incorruptam, quantum in se erat, Religionem conservare volens, plurimaque mala ex impiorum Librorum lectione provenire cognoscens, Librorum Indicem per Inquisitores fieri curavit, quem deinde anno MDLIX. impressum publicavit, Libros eo contentos gravi anathemate, vel legi, vel haberi prohibens, primusque existens, qui universalem omnium perniciosorum librorum cujuscumque argumenti, etiamque profani, a quibuscumque etiam Religione Catholicis Scriptorum, vel etiam a suspectis typographis de quacumque arte editorum, Indicem contexere studerit, cum ad eum usque diem librorum prohibitiones tam a Pontificibus, quam Imperatoribus factæ, nunquam excessissent terminos librorum hæreticorum; aliive pestilentes legi prohibiti fuissent, nisi quorum Auctores etiam damnati extitissent. Quod tamen prudentissima cautione a Paulo præstitum intelligitur, cum soleant etiam multi alii libri præter hæreticos, mores corrumpere, & falsas opiniones inducere; soleantque hæretici Scriptores, & typographi aliorum argumentorum tractationibus sua venena immiscere.*

II. Labitur autem in eo Spondanus, & post eum etiam Vanespen, cum locis citatis ajunt, Indicem librorum prohibitorum confici jussum a Paulo IV. anno MDLVII. absolulutum deinde fuisse, ac publicatum ejusdem Pontificis auctoritate anno MDLIX. Duo siquidem confecti & absoluti fuerunt sub laudati Pauli IV. Pontificatu prohibitorum Librorum Indices, alter anno MDLVII. alter vero anno MDLIX. Certe in priori Indice tametsi nullum extet Decretum, ita tamen a tergo faciei Libri legitur.

*Index alphabetico ordine distinctus est: singula insuper alphabeti elementa serie non vacant.*

*In primis nomina, sive vulgatiora cognomina disponuntur eorum, qui tanquam ex professo errantes, & in errorem mittentes, cum universis inscriptionibus ipsorum, cujuscumque argumenti sint, pro damnosissimis habentur.* His

*His succedunt Libri a notis Auctoribus editi ea ratione rejecti, quod, vel ad hæresim, vel ad aliquod præstigiosæ impietatis, aut obscenæ alicujus turpitudinis genus, vel omnino ad intolerabiles errores subinde allicere, satis superque diu exploratum est.*

*Postremo loco redactæ sunt inscriptiones Librorum, qui utplurimum ab incertis hæreticis confictì pestilentissimis doctrinis referti sunt.*

III. Itaque distinctus erat hic Pauli IV. Index in tres Classes. Prima exhibebat nomina eorum, quorum omnia Opera cujuscumque argumenti etsi profani omnino vetantur, inter quos & quorundam nomina Catholicorum occurrunt. Secunda Classis Libros singulatim damnatos continebat, dum alii ipsorum Auctorum Libri minime prohibebantur. Tertia tandem Classis complectebatur scripta quædam anonyma, adjecta clausula generali vetante Libros omnes anonymos editos ab anno MDXIX. Sane ad calcem tertiæ Classis illud expresse edicitur, ut *Libri omnium enarratorum hæreticorum, sive Auctorum ubicunque, & quandocumque excusi, scripti, vel exscripti fuerint, ab universis sub Censuris, & pœnis in Decreto S. D. N. expressis caveantur*. Sed hoc Decretum cujus fit mentio, jam ibi non extat. Legitur deinde pag. 65 Catalogus Bibliorum, quæ fuerant ab hæreticis Parisiis, Antuerpiæ, Basileæ, Lugduni, aliisque in locis impressa; tum vero pag. 69. alius Catalogus legitur LX. Typographorum, quorum omnium Libri, quos typis suis ipsi vulgarant, prohibentur, a quocumque demum Auctore, aut idiomate prodiissent.

IV. Spectant hactenus dicta Indicem quidem a Paulo Papa IV. editum anno MDLVII. edidit enim & ipse alium Indicem labente anno sequenti MDLVIII. die nempe XXX. Decembris, & sub ipso initio sequentis anni MDLIX. uti notavit Auctor Bibliothecæ volantis, *Scanzia xxiij.* pag. 122. ubi etiam hunc recenset novi ejus Indicis titulum: *Index Auctorum, & Librorum, qui ab Officio Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis caveri ab omnibus, & singulis in universa Christiana Republica mandantur, sub Censu-*

 *ris*

*ris contra legentes, vel tenentes Libros prohibitos in Bulla, quæ lecta est in Cœna Domini, expressis &c.* Romæ apud Antonium Bladum anno MDLIX. in 4. & in 12. in quorum altero, ad calcem Decreti legitur: *die xxx. Decembris* MDLIX. (sed legendum ait memoratus Auctor, MDLVIII. *præfatæ litteræ affixæ, & publicatæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum &c.* Duo itaque Indices confecti fuere a Paulo IV. quem etiam primum fuisse qui e Romanis Pontificibus Indicem ipsum ediderit, Scriptores passim testantur, ii præsertim, qui Vitam & gesta ejusdem Pauli IV. Papæ enarrant, inter quos Andreas Victorellus in suis ad Ciaconium Notis, Tomo III. col. 816. ita de ipso Pontifice scribit: *Cardinalis Theatinus sub Julio III. Indicem Librorum non legendorum conficere cœperat, at Romanus Pontifex delectus, primus fuit suo sæculo, qui universalem perniciosorum Librorum Indicem contexere, & ad usum revocare studuit. Ante illum nulla Pontificia, aut Cæsarea Lex propositis pœnis caverat in universum, ne Libri hæreticorum, aut alii pestilentes legerentur.*

V. Teste Spondano ad annum MDLVII. Num. v. illud in hoc Pauli Indice rigidius visum, quod pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos, ac prohibitos denunciata, erat excomnunicatio latæ sententiæ, Pontifici reservata; privatio, atque incapacitas quorumque munerum, ac Sacerdotiorum; perpetua infamia, cum aliis pœnis arbitrariis. Quo factum est, ut Pius IV. Pauli successor rigorem hunc temperans, totum illud Indicis Librorum negotium ad Concilium Tridentinum retulerit, ut infra dicemus. Interim tamen, ut idem Spondanus narrat, Petrus Paulus Vergerius, infamis ille Apostata, adversus hunc Pauli IV. Indicem, aliosque Librorum hæreticorum jam antea a Theologis Parisiensibus, Lovaniensibus, & Hispanincis promulgatos, ita Latine, atque Italice debacchatus est, ut quamvis nusquam non insaniat potius quam scribat, in Libellis tamen contra ejusmodi Catalogos furori suo omnes habenas laxaverit. Cujus, ac similium amentiam apposite tetigit, contuditque Jacobus Gretserus Societatis Je-

Jesu Theologus præstantissimus in suis Commentariis de Librorum hæreticorum, & noxiorum prohibitione.

## C A P. V.

*De Indice jussu Concilii Tridentini ordinato, variisque in eo conficiendo Patrum sententiis, ac de F. Francisco Forerio Dominicano Tridentinæ in eam rem Deputationis Secretario.*

I. QUod ad Concilium Tridentinum attinet, cum post suspensionem decem circiter annorum rursus sub Pio IV. omni suspensione sublata, ejus resumtio in Sessione habita die XVIII. Januarii anni MDLXII. communi Patrum assensu declarata esset, habita fuit Congregatio die XXVI. ejusdem mensis, in qua Præsidibus Concilii inter alia propositum fuit, *ut Libri a diversis Auctoribus post hæreses natas editi, una cum Catholicorum contra eos Censuris examinarentur, quo Synodus quid super illis habeat decernendum, statuat.* Varias fuisse super hoc Articulo Patrum sententias, ex Actis quidem ejusdem Concilii refert Vanespen Parte 1. Juris Ecclesiastici universi, Titulo XXII. Cap. IV. Num. IX. Et quidem inter alia Archiepiscopus Granatensis ab ea occupatione Patres dehortatus fuit, quippe longissima, & quæ Synodum abstraheret ab altioribus negotiis, magisque indigentibus ipsius proxima cura. Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis adjecit, *posse id committi Academicis.* Petrus Contarenus Paphensis Episcopus, non mediocri affectus benevolentia, ut rem narrat Pallavicinus Lib. XV. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. XIX. Num. X. erga Paulum IV. cui & familiaris intimus fuerat ante Pontificatum, & a quo postea Episcopatum acceperat, suadebat, ut nulla fieret in Indice Pauli mutatio: *Esse verius recentium ingeniorum intemperantiam, quam Religionis studium, velle decessorum opera reformare, non quo illa meliora redderentur, sed quo ipsi præstantiores ostentarentur. Caverent, ne*

*sanctiones Majorum illi revocantes, posteros stimularent ad eorum exempla sequenda in eorundem Decretis abolendis*. E contra Daniel Barbarus Patriarchæ Aquileensis adjutor monuit, Indicem ipsum Pauli IV. plurima correctione indigere, cum eodem modo proscriberet opus licentiæ juvenilis, & opus hæreticæ pravitatis. Christophorus Patavinus censuit, novum ab initio non esse Indicem constituendum, sed Indicem Pauli reformandum; monuitque deinde, *quosdam etiam ex Libris esse, qui inter bona plurima, mali aliquid continebant, & hos emendandos quidem esse, non omnino refellendos; cum ea sit terrenarum rerum conditio, ut is, qui mallet omne bonum, quod purum non est, eliminare, & non potius illas defæcandas studere, genus humanum omni bono privaret*.

II. Inter has Patrum dissensiones, & disputationes, tandem plerisque consentientibus, ut aliquibus conficiendi Indicis cura demandaretur; ac rogatis Patribus, ut Librorum Censores, qui eam curam susciperent, designarent, communi suffragio Præsidibus Concilii horum electio data fuit: *Facta vero*, ait Spondanus ad annum MDLXII. Num. XVII. *a Patribus potestate Legatis Apostolicis deligendi nonnullos, qui Indici Librorum conficiendo, cujus curam Pontifex*, Pius IV. *ad Concilium remiserat, vacarent, designati fuere ab iis Georgius Drascovitius Episcopus Quinqueecclesiensis, Orator Cæsareus pro Regno Hungariæ, Joannes Trivisanus Patriarcha Venetus*: IV. *Archiepiscopi*, (inter quos primas tenebat post Patriarcham Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracharensis, Ordinis Prædicatorum) IX. *Episcopi, Abbas unus Cassinensis, duo Generales, Minorum de Observantia, & S. Augustini; sed ita ut non ante finem Concilii Index publicaretur, ne Protestantes magis exasperarentur*. Ubi nota summam Concilii Tridentini Patrum prudentiam, qui, ubi potuerunt, omnem semper præciderunt occasionem Protestantes exasperandi, nullumque non moverunt lapidem, ut sapientissima utentes œconomia jam alias a pervetustis Sanctis Patribus adhibita, eos ad Catholicam Fidem, & unitatem Ec-

Ecclesiæ revocarent. Porro Secretarius ejus Deputationis in Indice conficiendo fuit F. Franciscus Forerius Lusitanus Ordinis Prædicatorum, ut videre est in ipsius Præfatione in Indicem Librorum prohibitorum. Dicitur Deputatio Tridentina, quod, ut ex dictis hactenus constat, & ut jam notavit eruditissimus Hyacinthus Libellus Indicis olim Secretarius in sua ad Lectorem Admonitione præfixa Indici Tridentino, quam legere est in Indice Librorum prohibitorum jussu Alexandri Papæ VII. edito anno MDCLXIV. pag. 228. *Sacra illa, & Oecumenica Synodus solerter advertens quantum noceat Christifidelibus Librorum malorum lectio, plures Episcopos doctrina, & pietate conspicuos deputavit, quorum cura, adhibitis item nonnullis Doctoribus, omnium Librorum damnatæ lectionis Index accurate conficeretur*. Tum vero mox etiam subdit idem Libellus: *Et hæc dicta est Deputatio Tridentina, cui, ut dixi, a Secretis fuit Franciscus Forerius, quem cum laude commemorat in Apparatu Sacro Possevinus*.

III. Patrum resolutionem de Indice conficiendo, edito Decreto, publicavit Synodus Tridentina Sessione XVIII. habita die XXVI. Februarii anno MDLXIII. declaravitque, se censuisse, *ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de Censuris, Librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem Sanctam Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias, & peregrinas doctrinas, tanquam zizania a Christianæ veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare, & statuere, quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum causas, magis opportuna videbuntur*. Post hunc Patrum delectum, & publicatum hoc Decretum, nihil de memorati Indicis negotio in Concilio ulterius actum legitur usque ad illum diem, quo finis Concilio impositus fuit, in continuatione scilicet Sessionis XXV. quando inter alia, etiam Decretum Patribus prælectum, & ab ipsis probatum fuit, in quo prius relatis, quæ Sessione XVIII. decreta erant, ita citato loco, ubi agitur de Indice Librorum &c. subditur: *Audiens*

*nunc*,

*nunc*, nempe Sancta Synodus, *huic operi ab eis*, quibus scilicet opus conficiendi Indicis fuerat demandatum, *extremam manum impositam esse*, *nec tamen ob Librorum varietatem*, *& multitudinem*, *possit distincte*, *& commode a Sancta Synodo dijudicari*, *præcipit*, *ut quicquid ab illis præstitum est*, *Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur*, *ut ejus judicio*, *atque auctoritate terminetur*, *& evulgetur*. Duo igitur, ut idem Vanespen observat, in Tridentina Synodo circa Indicem Librorum acta sunt. Primum, cura illius conficiendi demandata quibusdam delectis Patribus fuit cum relatione ad Synodum, quo ipsa commodius deliberare de eo, atque statuere posset. Alterum, ut omnium eorum, quæ a delectis illis Patribus acta erant, relatio ad Sanctissimum Romanum Pontificem fieret, ut ejus judicio opus illud terminaretur, atque evulgaretur.

IV. Licet autem in Tridentina Synodo solummodo actum esset de conficiendo Indice Librorum hæreticorum, vel de hæresi suspectorum, aut alias perniciosorum, nec aliud delectis Patribus commissum legatur, quo scilicet facilius ipsa Synodus *possit varias*, *& peregrinas doctrinas*, *tanquam zizania a Christianæ veritatis tritico separare*, ipsi tamen Prælati ad hoc opus deputati, quos supra memoravimus, animadvertentes, ut ait laudatus Forerius in citata Præfatione, *in Indice Romæ jampridem confecto nonnulla parum explicite posita*, *quæ interpretatione indigerent*, *re multum diuque deliberationibus agitata*, *ac Viris etiam ex omni natione Theologicæ Facultatis scientissimis in Consilium adhibitis*, *subjectas Regulas componendas judicarunt*, *ut quod ejus fieri posset*, *dictorum hominum commodis*, *& studiis*, *salva veritate*, *ac religione*, *prospiceretur*. Porro prædictum Indicem cum Regulis subjectis, quæ sunt numero x. Pontificiis tandem Litteris in forma Brevis, quæ incipiunt, *Dominici Gregis*, editis sub die xxiv. Martii anno mdlxiv. adeoque tribus a soluta Synodo mensibus, probavit, atque ab omnibus observari mandavit Pius Papa IV. postquam scilicet dixit, se eum Indicem doctissimis, probatissimisque Prælatis legendum, examinandum-

dumque tradidisse, atque etiam ipsum per se legisse. Sane Provinciam edendi hunc Indicem commisit laudatus Pius Paulo Manutio, qui eum mox edidit Romæ in ædibus Populi Romani, hoc eidem præfixo Titulo: *Index Librorum probibitorum cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii IV. Pontificis Maximi comprobatus*. Extant in hoc Indice memoratæ Pii IV. Litteræ, & celebris Admonitio, seu Præfatio doctissimi Patris F. Francisci Forerii Dominicani, qui tunc erat a Secretis Tridentinæ Deputationis.

V. Quod formam hujus Indicis spectat, in eo unaquæque Alphabeti Litera tres Classes habet ad exemplum Indicis Pauli IV. In prima Classe non tam Libri, quam Librorum Scriptores continentur, qui aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt. Ut enim ait laudatus Forerius Tridentinæ Deputationis ad conficiendum Indicem Secretarius in memorata sua Præfatione, *horum Catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum scripta, non edita solum, sed edenda etiam, probibita esse*. Monet tum etiam Forerius, non in omnes hujusmodi Auctores a Tridentinis Patribus inquisitum fuisse, sed iis pene contentos fuisse, qui in Romano Catalogo descripti fuerant. In secunda Classe, teste eodem Forerio, referuntur Libri, *qui propter doctrinam non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus Fidelium afferre potest, rejiciuntur, etiamsi Auctores, a quibus prodiere, ab Ecclesia nunquam desciverint*. Tertia tandem Classes, ut idem Scriptor docet, *eos Libros complectitur, qui sine Scriptoris nomine exierunt in vulgus, & doctrinam continent, quam Ecclesia Romana tanquam Catholicæ Fidei, aut morum integritati contrariam, refutandam, ac refellendam esse decernit. Non enim omnes Libros, qui nomen Auctoris non præferunt, damnandos putarunt; quandoquidem sæpe Viros doctos, ac Sanctos novimus, ut Respublica quidem Christiana ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, Libros optimos sine nomine edidisse*. Hæc Forerius, quæ quidem si conferantur cum his, quæ de Indice

dice Pauli IV. superius dicta sunt, illud nos plane docent, Patres ad Indicem concinnandum delectos, licet Pauli IV. Indicem non quidem in omnibus probarint, ejus tamen in multis normam tenuisse.

VI. Porro cum ex dictis superius constet, Synodum Tridentinam nullum Indicem Librorum vetitorum composuisse, sed dumtaxat Patribus quibusdam ejus curam demandasse, & quidem expresse, *cum relatione ad Synodum*, ut facta relatione, ipsa demum commodius deliberare, & statuere posset; ac tandem instante Synodi fine, opus a Patribus delectis confectum ad Romanum Pontificem remisisse, *eo quod ob Librorum varietatem, & multitudinem, non posset distincte, & commode a Sancta Synodo dilucidari*; illud profecto sequitur, quod & jam observavit Vanespen loco citato, hunc Indicem, non alio ex capite posse dici Tridentinum, nisi quod Synodus quibusdam Patribus ejus conficiendi curam demandaverit, atque hi, durante Concilio, huic operi ultimam manum apposuissent, aut saltem, ut loquitur Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Sacrosanctum*, edita anno MDXCV. *in negotio illo non parum essent progressi*; aut denique, quia totum illud negotium remissum fuit ad summum Romanum Pontificem. Fuit his Pius IV. de quo superius diximus.

VII. Sed audiamus tandem uti ipsam rem narrat laudatus Pontifex Clemens VIII. in citata sua Constitutione, *Sacrosanctum*. Causam enim ibi recenset, cur suum Synodus Tridentina Indicem confecerit, probatum deinde a Pio IV. Pontifice: *Sed cum nostris hisce calamitosis*, inquit, *& novissimis temporibus antiquus humani generis hostis a sua malitia nunquam recedens, ad eandem Catholicam doctrinam, & veritatem labefactandam, pestiferas hæreses, & detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum Librorum copiam, quæ plus nimio excreverat, coercere, aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquot Viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent, & deliberarent; deinde vero cum ii in negotio illo non*

*non parum progressi essent, justis de caussis eadem Synodus permota, ad ipsam Apostolicam Sedem, integram rem deferendam statuit*. Quid circa eam rem egerit Pius IV. qui tunc universam regebat Ecclesiam refert, idem memoratus Pontifex Clemens VIII. his verbis: *Itaque felicis recordationis Pius Papa IV. Prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælatis quibusdam doctrina, & prudentia præstantibus adhibitis, Indicem Librorum prohibitorum, & Regulas quasdam per suas Litteras in forma Brevis promulgavit, & ejusmodi noxiorum Librorum detrimentis depellendis opportune providit*. Litteræ Pii Pontificis IV. editæ fuerunt die XXIV. Martii anni MDLXIV. earumque initium est: *Dominici gregis custodiæ*.

## CAP. VI.

*De variis aliis Librorum prohibitorum Indicibus jussu & auctoritate Sacræ Congregationis Indicis confectis, ac promulgatis studio, & cura Secretariorum ejusdem Sacræ Indicis Congregationis*.

I. PRæter memoratos superius vetitorum Librorum Indices a Paulo IV. Pontifice primum, ac deinde a Generali Synodo Tridentina ordinatos, a Sacra Congregatione Indicis jussu Clementis Papæ VIII. concinnatus, comprobatusque ab eodem Pontifice fuit novus Index, cui Titulus: *Index Librorum prohibitorum cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos auctoritate Pii IV. primum editus, postea vero a Sixto V. auctus, & nunc demum auctoritate Clementis VIII. recognitus, & publicatus: instructione adjecta de exequendo prohibitionis Decreto, deque sincere emendandi, & imprimendi Libros ratione*. Romæ apud Impressores Camerales MDXCVI. Indicem ipsum, cum in dies crescerent pravam doctrinam continentes Libri, atque iccirco prohibiti, primum fieri curavit Gregorius XIII. ipsumque commisit Sacræ Indicis Congregationi a S. Pio V. uti dicemus inferius Cap. VII.

 insti-

institutæ, cui interfuit Cardinalis Montaltus, qui fuit postea Sixtus Papa V. quique cum ante obierit, quam Index ipse perfectus fuisset, Clemens VIII. edendum illum tandem curavit, ut idem Clemens testatur suo Diplomate in forma Brevis dato anno MDXCV. & Indici ipsi præfixit.

II. Ergo in citato Diplomate, quod incipit, *Sacrosanctum*, Clemens Papa VIII. postquam de Indice Tridentino, ejusque approbatione a Pio Papa IV. facta differuit, ita deinde de novo Indice, quem conficiendum Sixtus V. curaverat, perfecitque tandem Clemens ipse, ediditque in lucem, statim subjicit: *Ceterum licet illa pro temporis ratione prudenter fuerint tunc constituta, tamen cum Satanæ astutia, in ejusmodi Librorum editione, nova in dies mala crescerent (nam post illud tempus alii etiam Libri perniciosi, partim conscripti atque editi, partim qui scripti erant, & antea delituerant, in medium prodiere, quorum lectione simpliciores, & incauti homines in errores induci facile poterant:) propterea piæ memoriæ Sixtus Papa V. Prædecessor noster, multis illustratis, atque ad Regulas adjectis necessariis rebus, mandavit, ut nonnulli alii ejusdem generis Libri eidem Indici adderentur. Verum cum idem Sixtus, re minime absoluta, ab humanis excesserit: Nos animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulentes, quod jam pridem utiliter cœptum, & a multis diu desideratum erat, hoc tempore omnino perficiendum, atque in lucem edendum duximus.* Fuse de ipso Indice differit laudatus Pontifex; qui quidem Index, ut notat eruditus Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDCXII. pag. 428. prodiit curis Fratris Pauli Pichi a Burgo S. Sepulchri, qui tunc temporis Secretarii Congregationis Indicis munere fungebatur, ut dicemus suo loco inferius, Lib. II.

III. Rursus alter Index prodiit Romæ anno MDCXXXII ex Typographia Cameræ Apostolicæ cum hac Epigraphe in fronte Libri: *Elenchus Librorum omnium tum in Tridentino, Clementinoque Indice, tum in aliis omnibus Sacræ Indicis Congregationis particularibus Decretis hactenus*

*nus prohibitorum ordine uno alphabetico per Fratrem Franciscum Magdalenum Capiferreum Ordinis Prædicatorum Sacræ Congregationis Secretarium digestus*. Nuncupavit hunc Librum Capiferreus Urbano Pontifici VIII. uti ex ipsa dedicatoria Epistola constat initio Libri præfixa, qui licet typis mandatus fuerit jussu quidem, & approbatione Sacræ Congregationis Indicis, uti ex ejusdem Actis liquet Tomo IV. pag. 54. eidem tamen Congregationi placuit, ut non ejus nomine, & Decreto, sed tantum nomine Secretarii tanquam privati Auctoris publicaretur. Legenda est hujus Scriptoris Epistola ad Lectorem, ubi sic inter alia inquit: *Arduum ergo negotium benigne Lector debito omnibus amore, ex officio, quo fungor, communi utilitati uti potui, lenivi, communemque laborem in me solum transvexi, ut tu sine labore, vel hoc solo Elencho, quicquid alibi multis, lectione, tempore, molestia, vix, aut ne vix quidem poteras comparare, Libros erroribus, hæresique infames uno prospectu haberes ante oculos, evitaresque; sic enim semper quæ tantum utilia sunt addisces ad gloriam Dei, & animæ salutem, quæ omnium scopus esse debet. Utere tu ergo, fruere, & alieno labore quiescens, in Dei charitate profice*. Ita ille, de quo videsis quæ dicemus nos Lib. II. ubi de ipso Secretario agemus.

IV. Alius Index prodiit etiam Romæ Typis Cameræ Apostolicæ anno MDCLXIV. sub hoc Titulo: *Index Librorum prohibitorum Alexandri VII. Pontificis Maximi jussu editus*; sed curis tamen Fratris Hyacinthi Libelli Secretarii Congregationis Indicis, qui etiam ipsum Indicem Apostolico laudati Alexandri Papæ Diplomate munitum, quod incipit, *Speculatores*, sua ad Lectorem Præfatione ditavit, sic inter alia inquiens: *Qui hunc Indicem habet, nihil illi deesse videtur, quod ad perfectam, & absolutam Librorum prohibitorum cognitionem desiderare possit, solumque ad illum refertur auctoritas, & robur Brevis Apostolici hac in materia editi, qui superius legitur*. Tum vero mox subjicit: *Ceteri vero Indices privata opera, ac privato consilio factos scias, quo commoditati utentium, prout cui-*

*que de nomine Auctoris, aut materiæ notiores Libri sunt, providentur; & maxime bibliopolarum, quorum inprimis interest, promptam, & expeditam habere malorum Librorum scientiam, & ut habeant quamexactissimam, publicæ utilitatis ratio magnopere desiderat, ne facile lolium inter spicas, inter medicamenta venena versentur.* Recusum fuisse hunc Indicem Alexandri VII. auctoritate probatum memorati F. Hyacinthi Libelli Secretarii Congregationis Indicis curis, notavit etiam Echard citato Tomo II. ad annum MDCLXXXIV. pag. 701.

V. Teste eodem Echard in prædicto Tomo ad annum MDCCIII. pag. 762. curis F. Jacobi Ricci Congregationis Indicis Secretarii prodiit Romæ ex eadem Cameræ Apostolicæ Typographia anno MDCLXXXI. *Index Librorum prohibitorum Innocentii XI. Pontificis Maximi jussu editus*: Sed de his videri possunt quæ infra dicemus Lib. II. ubi seriem eorum describemus, qui a Secretis Sacræ Indicis Congregationis fuere.

## C A P. VII.

*De institutione Congregationis Indicis facta a Pio Papa V. deque Cardinalibus, Consultoribus, ac Secretario in ea constitutis, & novis facultatibus a sequioribus Pontificibus eidem Congregationi concessis.*

I. Quamquam nulla extet hodie Constitutio S. Pii V. quæ nos doceat, institutam ab ipso fuisse Congregationem Indicis, quia scilicet illa vel in aliquo archivo latet, vel deperdita omnino est, adubitari tamen nequit, quin ipse S. Pius anno MDLXXI. Congregationem instituerit S. R. E. Cardinalium deputatorum super reformatione Indicis Librorum improbatæ lectionis, & emendatione Librorum impressorum, & imprimendorum. Constat & id quidem ex Regestis ejusdem Congregationis a laudato Pontifice institutæ, in quibus etiam hi quatuor sequentes recensentur Cardinales ab eo deputati, nempe, Cla-

Clarevalensis Ordinis Cisterciensis, Theanensis Ordinis Prædicatorum, de Montalto Ordinis Minorum Conventualium, qui fuit postea Sixtus Papa V. & Justinianus Ordinis Prædicatorum. Deputati quoque fuere ab eodem Pio Pontifice sequentes Consultores, nempe, Episcopus Regiensis Ordinis Prædicatorum, Episcopus Signinus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Sacrista Pontificis, Magister Sacri Palatii, ac Procuratores Generales Ordinum, Minorum de Observantia, & Conventualium, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Servorum Virginis. Secretarius autem Congregationis deputatus fuit F. Antonius Possius, quod diu scilicet Tridenti in Concilio commoratus, notitiam haberet Deputationis Indicis, de qua dictum superius est.

II. Ceterum, si nos modo primam spectemus originem, primus Tridentinæ Deputationis Indicis Secretarius fuit F. Franciscus Forerius Dominicanus, uti jam non uno in loco notavimus. Quamquam vero Tridentina Deputatione in Indicis Congregationem a S. Pio V. erecta, ejusdem Secretarius ab ipso Pontifice deputatus Possius fuerit, ad illud tamen munus deinceps Summi Pontifices non alios assumpserunt, nisi Fratres Ordinis Prædicatorum, ut infra ostendemus ex eorum Catalogo, qui ad hanc usque diem a Secretis Congregationis Indicis non interrupta serie ex eodem laudato Ordine extitere. Interim audiendus hoc loco doctissimus F. Hyacintus Libellus Secretarius olim Indicis, qui in sua ad Lectorem Admonitione præfixa Indici Tridentino, quem descripsit in Libro, cui Titulus, *Index Librorum prohibitorum Alexandri VII. Pontifici Maximi jussu editu*. pag. 228. ita ad nostram rem inquit: *Hanc postea Deputationem*, Tridentinæ Synodi scilicet ad conficiendum Indicem, de qua nos diximus supra, Cap. III. *in Indicis Congregationem Pius V. erexit*, *Secretario eidem assignato Antonio Possio*, *ad quod munus deinceps Summi Pontifices Viros ex Ordine Prædicatorum assumpserunt*.

III. Errat vero inter alios Cardinalis de Luca, Relationis Romanæ Curiæ, Discursu XIX. ubi ait, Sixtum Papam

pam V. Congregationem Indicis erexisse. Erecta etenim fuit ipsa Congregatio a S. Pio V. uti vel ex ipsa ejusdem Sixti V. Constitutione LXXIV. intelligere licet, qua quidem non aliud edicit, quam ampliores facultates se Cardinalibus tribuere, *qui ad Libros prohibendos, expurgandosque delecti sunt*. Sed jam longe ante Sixtum V. Gregorius Papa XIII. anno I. sui Pontificatus, Christi vero MDLXXII. peculiari Diplomate dato die XIII. Septembris, quod incipit, *Ut pestiferarum opinionum*, ipsi Congregationi Indicis jam institutæ hasce concessit facultates: *Decernentes, vobis, seu majoris vestrum parti, ut etiam adhibitis spectatæ fidei Viris, Sacræ Theologiæ, & Canonum peritis, secularibus, & Regularibus (quibus solis, & ad hunc effectum dumtaxat, Libros prohibitos tenendi, & legendi licentiam tribuere possitis) omnes, & quascumque obscuritates, & difficultates in ipso Indice, & ejus Regulis exortas, & inposterum emergentes, declarare, aperire, & definire, Libros hæreticorum, aut suspectos, aut quoquo modo improbatorum Scriptorum expurgare, quos permittendos esse censebitis, permittere, in eo Indice non comprehensos reponere, permissos tollere, venales, qui vendebantur ubique locorum etiam prohibere, prohibitos, ac peritorum opera expurgatos, & a vobis probatos legendos, & tenendos permittere, quæ videbuntur addere mutare, supplere & emendare &c.* Itaque jam ante Sixtum V. erecta non modo fuerat Indicis Congregatio, sed & eidem ante Sixtum ab illius prædecessore Gregorio XIII. concessæ amplæ facultates fuerant.

IV. Fateri autem illud cogimur, laudatum Sixtum V. tametsi non sit ipse Auctor Sacræ Congregationis Indicis, novam eidem formam præbuisse, amplioresque facultates Cardinalibus, qui eandem constituunt, tradidisse, ut ex prædicti Pontificis Diplomate addiscimus dato die XXII. Januarii anni MDLXXXVII. ubi de ipsis Cardinalibus loquens, sic inter alia inquit: *Has illis facultates tribuimus, ut librorum catalogos, & Indices, eorumque Regulas recognoscant, & examinent ceterorum Auctorum Libros prohibitos,*

*tos, & suspensos diligenter excutiant, & prout expedire judicaverint, permittant. Libros, qui post Indicem jussu Concilii editum prodierunt, Catholicæ Doctrinæ, Christianorumque morum disciplinæ repugnantes expendant, & recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant. Committimus quoque eidem Congregationi, ut Theologis, Canonistis, aliisque peritis Viris ad hoc negotium adhibitis eam ob rem tantum, non vero aliis Libros vetitos tenendi, legendique, etiam absque nostra licentia impertiatur facultatem.* Nulla hic mentio erectionis Congregationis Indicis a Sixto V. Papa factæ, sed de ampliori facultate dumtaxat agitur concessa Cardinalibus ipsius Congregationis ab eodem Pontifice. Errant itaque Auctores passim, qui putant, & scribunt, Sacram Indicis Congregationem a memorato Sixto Papa V. institutam primum fuisse. Constat enim evidentissime ex hactenus dictis, jam ante illum fuisse erectam.

V. Facultates Congregationi Indicis hucusque concessas novo muniit robore Clemens Papa VIII. peculiari ea de re Brevi edito die VIII. Octobris anni MDXCV. cumque non multo post in ipsa Sacra Congregatione Indicis die XXX. Julii anno MDXCIX. orta difficultas fuisset de concedendis licentiis legendi Libros prohibitos, Cardinalis Baronius, qui eidem Congregationi præerat, anno MDC. die XX. Januarii Congregationi retulit, *vivæ vocis Oraculo sibi facto, Sanctissimum Papam Clementem Octavum declarasse, quod Illustrissimi Cardinales pro tempore deputati super Congregatione Indicis plenam habeant potestatem, ac facultatem, nedum super Libros impressos, vel imprimendos suspendendos, prohibendos, & corrigendos, permittendos, concedendos, verum etiam super Auctores Librorum, & eosdem imprimentes, & legentes, vel personas quomodocumque, aut qualitercumque Indicis materiam, aut Libros concernentes, dummodo in causa hæresis nullatenus se intromittant.* Legitur hoc Baronii testimonium Tomo I. Actorum ipsius Sacræ Congregationis Indicis, pag. 128.

CAP.

## C A P. VIII.

*De auctoritate Sacræ Congregationis in Libros non modo impressos, sed & in imprimendos, ac de qualitatibus quibus Librorum Censores præditi esse debent.*

I. Inter alia privilegia Sacræ Indicis Congregationi concessa a Summis Pontificibus, recenseri quoque & illud, ut ipsa Sacra Congregatio præcipuam habeat auctoritatem in Libros non modo impressos, verum etiam in imprimendos, docet nos Clementis VIII. Constitutio, quæ incipit, *Sacrosanctum*, data die decima septima Octobris anni MDXCV. ubi privilegium ipsum, quod Sacræ Congregationi concessum ait a prædecessoribus Romanis Pontificibus Maximis, novo munit robore, sic inter alia inquiens: *Quo autem facilius negotium cum prohibitionis, tum expurgationis, & impressionis Librorum peragatur, eas omnes facultates, privilegia, & indulta, quæ recolendæ memoriæ Pius V. Magistro Sacri Palatii primum, deinde Gregorius XIII. & Sixtus V. Cardinalibus Congregationis prædictæ concesserunt, quorum tenores hic volumus haberi pro expressis, confirmamus, & quatenus opus est, innovamus in his omnibus, quæ additis in hoc Indice non adversantur. Volumusque propterea, ac decernimus, ut siquæ inposterum dubitationes, aut controversiæ circa ipsum Indicem, illusque Regulas, aliaque illis addita emerserint, ad Congregationem supradictorum Cardinalium, Nobis, aut Successoribus nostris, si rei gravitas id postulaverit, consultis, declarentur, & decidantur. Quorum auctoritatem cum permittendis, tum prohibendis, expurgandis, & imprimendis Libris, aliisque ad eam rem pertinentibus explicandis, volumus esse præcipuam &c.*

II. Eam esse præcipuam Sacræ Congregationis auctoritatem in Libros non modo impressos, verum etiam in imprimendos, constat etiam ex Decreto ejusdem Congregationis Feria II. die III. mensis Februarii anno MDCLIX. edito in Palatio Apostolico Quirinali ab Eminentissimis, & Re-

& Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus ab Alexandro Papa VII. Sanctaque Sede Apostolica ad Indicem Librorum eorundemque permissionem, prohibitionem, expurgationem, *& impressionem* in universa Republica Christiana specialiter deputatis, Præfecto B. Cardinali Spada, Secretario autem Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum, qui Decreto subscripsit, quod eodem anno impressum fuit typis Cameræ Apostolicæ. Operæ autem pretium duxi Decretum ipsum hoc loco describere, quo non solum magis magisque pateat memorata Sacræ Congregationis Indicis auctoritas in Libros impressos, & imprimendos, verum etiam, ut illud demonstremus, quod superius innuimus de qualitatibus, quibus præditi esse debent Librorum Censores. Est vero Decretum hujus tenoris.

III Sacra Congregatio animadvertens, fœdam ac pestiferam malorum Librorum segetem summa cum fidelium offensione, ac periculo in vinea Domini quotidie crescere, ac propagari, ejusque vitii culpam apud illos residere potissimum, quorum curæ pravi hujusmodi seminis extirpatio committi solet, dum in probandis novorum operum impresionibus cautelas, & monita, præsertim vero per novissimam Lateranensem, ac Tridentinam Synodos comparata in exequendo suo munere adhibere non curant; statuit gravissimo huic incommodo, & ni mature subveniatur, in certissimam pestem animarum, atque perniciem erupturo, quantum, adjuvante Domino, sperari ab ope humana fas est, convenienti remedio occurrere, ac providere, ne impuri impotentium ingeniorum fœtus passim, & sine delectu prodire in publicum, inque hominum luce, qua prorsus indigni sunt, versari cernantur. Quapropter, habito prius verbo cum Sanctissimo Domino Nostro omnes, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, eorumque Vicarios, & Officiales, Inquisitores hæreticæ pravitatis, Regularium cujuscumque Ordinis Superiores, omnesque alios, qui Librorum editioni, publicationi, impressioni assentiendi ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, admonendos decrevit, prout tenore præ-

ſentium diſtricte illos, & ſerio admonet, ut dent operam diligenter, ne ad examen Librorum hujuſmodi perſonas affectui Auctorum quomodolibet addictas, præſertim vero propinquitate illos, aut alia (quantumvis a longe petita ea ſit) veri, & ſinceri judicii corruptrice neceſſitudine contingentes admittant. Super omnia autem ab oblatis ſibi in hanc operam per eoſdem Auctores Cenſoribus caveant, ſed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos ab omni ſuſpicione gratiæ intactos, ac ſi fieri poteſt, Auctoribus ipſis ignotos, & unius boni publici, Deique gloriæ ſtudioſos cognoverint. Quo vero ad Auctores Regulares cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti ſint; illud præterea inviolabiliter obſervandum injungit, ne eorum ſcripta, vel opera aliis ejuſdem Inſtituti Regularibus a præfatis imprimendi facultatem impertientibus (exceptis tamen quibuſcumque eorumdem Auctorum Regularium Superioribus Regularibus, quos Sacra Congregatio in eo dumtaxat Librorum examine, quod intra illorum Ordinem fieri debet, hac parte præſentis Decreti comprehendere non intendit) examinanda committantur; ſed Viri in id extra eam familiam, atque alterius Ordinis, pii, doctique, & a partium ſtudio, atque ab amoris, & odii ſtimulis prorſus remoti eligi debeant. Admonet præterea omnes, & ſingulos, quibus hoc munus examinandorum librorum pro tempore deputari contigerit, ut memores officii ſui, memores fidei, qua digni ab Eccleſia judicantur, debitum operi ſibi credito ſtudium, diligentiam, Religionem adhibeant, nec ea detrimenta, atque incommoda, quibus a noxiorum Scriptorum lectione fidelium animas affici neceſſe eſt, in ſe ipſos, ſuaſque conſcientias redundare patiantur, neve graviſſimarum Dei offenſarum, ac peccatorum inde orientium rationi ſe ſe tam in hoc ſeculo Apoſtolicæ Sedis, quam in extremo ſeveri judicii examine obnoxios eſſe velint. In quorum fidem manu, & ſigillo Eminentiſſimi, ac Reverendiſs. DD. Cardinalis Spadæ Epiſcopi Præneſtini Sacræ Congregationis Indicis Præfecti, præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit. Da-

tum

tum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali, die, & anno supradictis.

B. Card. Spada Præf.

*Fr. Hyacinthus Libellus Ordinis Prædic.*
*Sac. Congreg. Secretarius.*

## C A P. IX.

### *De præcipuo Secretarii Congregationis Indicis munere in prohibitione Librorum.*

I. MUnus præcipuum Secretarii Congregationis Indicis est, convocare Congregationem, in qua legit denunciationes, vel accusationes Librorum, qui ad Congregationis Tribunal deferuntur, eosque ad Relatores, vel Consultores transmittit, ut in ipsos censuram ferant. Hos vero Relatores, & Consultores, præmissa ad Eminentissimos Cardinales Congregationis scheda, qua & eorum nomina, & Libri referendi titulus continetur, stata Congregationis die, quæ fit in Palatio Apostolico, introducit, ibique illi relationem, & censuram suam legunt; iisque statim dimissis, Eminentissimi Patres judicium ferunt, quod a Secretario in tabulas refertur. Idem præterea Secretarius Acta ipsa Congregationis Summo Pontifici exponit, quo ab ipso approbentur, & confirmentur, eaque sic approbata, & confirmata, in sequenti Congregatione Cardinalibus denunciat.

II. Cum itaque hæ sint Secretarii Congregationis Indicis partes, Libros nempe, qui accusantur, vel denunciantur, dumtaxat ad Censores transmittere, & postquam illi Libros ipsos in Congregatione retulerint, Decretum, quod uni Cardinales pronunciarunt, in tabulas referre; profecto jam patet, quanta sit Petri a Valle Clausa, seu Theophili Raynaudi calumnia non modo Secretario Congregationis Indicis, ipsique Congregationi, sed etiam Summo Pontifici impacta, ubi in Libro, *De immunitate Cyriacorum*, quem adversus Dominicanos scripsit, non est

veritus dicere, quod Decreta, quæ ad nos deferuntur Congregationum Romanarum, regit *unus Secretarius Dominicanus omnium litterarum rudis*, *vere Opilio Arcadicus*. Notavit hæc olim, confutavitque doctiſſimus æque, ac religioſiſſimus Scriptor Ordinis Prædicatorum Vincentius Baronius in Epiſtola ſua parænetica ad P. Raynaudum, quam vindicationibus Familiæ ſuæ Dominicanæ, & doctrinæ Thomiſticæ præfixit.

III. Sed hi plane irriti conatus ſunt, tanta enim eſt quorundam adverſus Dominicanos invidia, ac livor, quod eorum Ordini Summi Pontifices ob probatam diu eorundem fidem, cultum, atque obſequium erga Apoſtolicam Sedem, tria illa præclariſſima officia commiſerint, nempe Magiſtri Sacri Palatii, Secretarii Indicis, & Commiſſarii Sanctæ Inquiſitionis, ut latrare ſemper, ac fremere, ſeditionemque adverſus ipſos Dominicanos concitare non ceſſent. Certe unus ex malignantium grege fuit nuper neſcio quis pſeudodoctor Sorbonicus, qui in epiſtola ſua ad Amicum Belgam, ubi dolet, Bibliothecam Janſenianam Patris de Colonia fuiſſe a Sacra Indicis Congregatione proſcriptam, non contentus Reverendiſſimum ejuſdem Congregationis Secretarium, Virum doctiſſimum, ac religioſiſsimum Patrem F. Thomam Auguſtinum Ricchinium laceraſſe, ita etiam in Nota ad eandem Epiſtolam non eſt veritus ſcribere: *Ricchinius nunc Romanæ Indicis Congregationis Secretarius, ideſt, pro ſuo arbitrio dominus, & moderator. Nonne tibi videtur optime conſultum eſſe Catholicæ Eccleſiæ in Libris corrigendis, & proſcribendis, tantorum negotiorum Ricchinio domino, ac moderatore! Atqui præterea eſt, cur graviora metuamus, niſi tandem aliquando miſſis Fratribus, hujuſmodi Curiæ Romanæ Munera ad graves, & doctos Prælatos devolvantur.*

IV. Antiqua hæc maleferiatorum hominum vota ſunt, qui invidia abrepti omnem moverunt lapidem, ut Dominicanis memorata ſuperius munia diu fideliterque exercita eriperent. Nota plane ſunt Petri a Valle Clauſa commenta, quibus refertus eſt illius Liber, cui Titulus, *De immu-*

*mu-*

*munitate Cyriacorum*, ubi non modo Dominicanos passim impetit, sed Cardinales quoque Sacrarum Congregationum, &, quod horrendum est dictu, Romanos ipsos Pontifices. Ut enim ille posset illudere Decretis omnibus, quæ ex Congregatione Indicis, vel ex aliis prodeunt, quibus intersunt aliqui Dominicani, ait, semper esse illa privata, & perversa judicia Dominicanorum, non Decreta Pontificum, aut Congregationum, quasi qui præsunt hujusmodi Congregationibus, aut Summus Pontifex, qui illos delegit, & Decreta eorundem confirmat, ita sint stolidi, ut patiantur, se oculis obductis ad nutum Dominicanorum agi, & suo nomine muniri quæcumque ob odium Dominicanorum moliuntur. Potuitne maleferiatus homo apertius aut atrocius grassari in Summi Pontificis, & Cardinalium auctoritatem, & illos inscitiæ, ac pene insaniæ accusare, quod ab uno, ut perperam loquitur, Fraterculo per girum sinant se quasi muta animalia duci?

V. Notavit hæc jam ante nos Vincentius Baronius in sua sex Dominicanorum defensione, Lib. II. Sectione 1. §. ultimo prope finem, ubi audaciam temeritatemque memorati Auctoris refellit, justaque expostulatione ita deinceps in eum invectus: *Putasne, manifestius apud hæreticos traduci Summum Pontificem, Eminentissimos Principes, quasi socordes, & officii sui ignaros, ut cum Congregationibus præsint, atque ubi statuerunt de propositionibus Sa, dixisti, illa fuisse Joannis Mariæ* (loquitur da F. Joanne Maria Brisichellensi Magistro Sacri Palatii) *judicia inscitiæ, vel malignitatis, vel utriusque referta, & opponis illis Hispanicæ, & Lusitanicæ Inquisitionis judicia, quæ rescidant Romana? Non est nova hæc fraus, & temeritas. Dictum est, totam Cantabricam Nationem intercessisse Censuræ Romanæ Librorum Pozæ, eodem forte prætextu, quod odio Dominicanorum immerito damnatus sit. Quid in Ecclesia, quid in Fide tutum erit, cum in promptu habeant hoc responsum Hæretici? Adscribent privatorum judiciis quæcumque in se fulmina vibrantur, & dicent, esse inimicorum propria, non judicia publica Ecclesiæ.* Hæc Baronius

nius adversus temeritatem Petri a Valle Clausæ, & hæc eadem nos adversus pseudodoctoris Sorbonici audaciam, atque insolentiam. Quid enim iste in sua impia Epistola ad Amicum Belgam scripsit, nisi quod olim prædictus Auctor fuerat commentus?

VI. Porro invehitur passim Raynaudus adversus Brisichellensem Magistrum Sacri Palatii, quod ejus Edicto edito die VII. Augusti anno MDCIII. quod legitur ad calcem Indicis Librorum prohibitorum Alexandri VII. Summi Pontificis jussu editi anno MDCLXIV. pag. 294. inter prohibitos libros recenseantur *Emmanuelis Sa Aphorismi Confessariorum hactenus impressi etiam in Urbe, nisi denuo prodeant impressi Romæ de mandato Magistri Sacri Palatii emendati, & castigati*. Carpit etiam Raynaudus Joannem Baptistam Marinum Sacræ Congregationis Indicis Secretarium, quasi is auctor fuerit Decreti a Sacra Indicis Congregatione editi die IX. Septembris anni MDCXXXII. ubi inter damnatos, & prohibitos Libros notata etiam sunt *Joannis Baptistæ Pozæ Societatis Jesu Cantabri Opera omnia*. Opponit quidem Raynaudus Decretis Romanis Hispanicæ, & Lusitanicæ Inquisitionis Judicia, quæ Romana ipsa Decreta rescindunt. Sed ridenda hæc objectio, nec audienda Hispanica, & Lusitanica Inquisitio, ubi nempe auderet Romanarum Congregationum Judicia rescindere. Quis enim Inqnisitioni Hispanicæ, Lusitanicæque tantam potuit conferre auctoritatem, ut valeret Romana Judicia rescindere? Ante Raynaudum insolentissime in Sacræ Indicis Congregationis Decreta invectus est quidem memoratus Poza, inique ferens, suum Elucidarium Romæ proscriptum. Legenda Defensio ab eodem de eo Libro edita, supplicesque libelli ad Urbanum VIII. Papam, in quibus non uno in loco exaltans Hispanam Inquisitionem, judicia Romanarum Congregationum deprimit, conaturque etiam probare in sua Apologia secunda, *non temere factum a suprema Hispaniarum Inquisitione, cum decrevit, prohibitionem Sacræ Congregationis de Indice non obligare in subjectis sibi Ditionibus, & Provinciis*.

VII. Jam

VII. Jam non desunt qui Pozam, & Raynaudum imitati hodie quoque exultent, Libros complures, ac præsertim Cardinalis Norisii, Romæ probatos, ab Hispanicæ Inquisitionis Indice fuisse nuper prohibitos. Scimus nos profecto quod factum est, sed quo jure, quave causa id factum sit, norunt alii; num etiam factum adprobent cordati, ac sapientes Viri, in aperto res est. Certe in sua Epistola, quam scripsit pseudodoctor Sorbonicus, sat suum contra Sacram Indicis Congregationem, ejusque Sententiam livorem ostendit, sed quemadmodum olim Petrus a Valle Clausa confutatorem habuit eruditissimum Fr. Vincentium Baronium, ita & iste Romanum Philalethem in celebri illa Epistola ad Theologum Lovaniensem de justa Bibliothecæ Jansenianæ proscriptione, quæ tota est in defendendis Sacræ Congregationis Indicis Decretis, & refellenda eorum petulantia, qui Cathedram sibi erexere, ex qua suo arbitrio judicia adversus Auctores, quos sibi adversarios noscerent, tametsi hi de Ecclesia Catholica optime meriti essent, proferebant. Digna lectu Epistola est, meruitque iccirco, ut brevi temporis spatio iterum atque iterum typis committeretur in Italia, Gallia, Germania, & forte aliis etiam locis.

## CAP. X.

*De summa Secretarii cura, ubi agitur de judicio Librorum magni momenti, & de clausula*, donec corrigatur, *&* donec expurgetur, *ab eodem ex Decreto Sacræ Congregationis apponi solita in quorundam prohibitione Librorum.*

. ANtiquus plane est Sacræ Congregationis Indicis mos, ut quotiescumque in ipsa Congregatione de Libro agitur, ubi res graves doctrinam Fidei, vel morum spectantes continentur, contrariæque sunt de eo Relatorum, vel Censorum opiniones, censuræ ipsorum per Secretarium Indicis ad Cardinales Congregationis mittantur, ut diligentius, maturiusque ab ipsis Cardinalibus expendantur

tur, additoque tertio, aut etiam quarto Relatore, seu Censore, de ipsius Libri damnatione, vel absolutione, ac dimissione in prima nova, ac plena Congregatione tractetur. Non raro autem contigit, Sacræ Indicis Congregationis Decreto sanciri, ut ejusmodi Libri proscribantur quidem, sed ea tamen conditione, *donec corrigantur*, seu *expurgentur*. Tum vero si pro Libri expurgatione Sacræ Congregationi supplex porrectus fuerit libellus, ea ipsa emendatio Auctori, aut Oratori committi solet, ea quidem lege, ut ad Sacram Congregationem transmissa, ejusdem probari Decreto possit.

II. Ad hæc demonstranda exemplo sint, quæ ab anno MDCCXXII. ad annum MDCCXXXI. contigerunt, quæque ex Tomo III. Collectionis Judiciorum Caroli du Plessis pag. 483. & seq. atque ex Monito ms. initio prædicti Tomi III. in Bibliotheca Casanatensi excepi. Ergo anno MDCCXXII. delata fuit, ut ait du Plessis loco citato, *Censura Sacræ Facultatis Theologicæ Duacensis in quasdam propositiones de Gratia depromptas ex dictatis Philosophicis Dominorum Legrand, & Marechal &c.* In qua Censura Contensonius & Maussolieus docti æque ac pii Dominicani, non modo veluti spurii Thomistæ, sed etiam Janseniorum sectatores indicantur, ipseque etiam S. Thomas parum reverenter habebatur. At vero Monitum audiamus, quod manu, citato Tomo exaratum, scitu dignum operæ censui hoc loco describere. Est autem hujusmodi: *In hoc volumine a pag. 483. ad 489. extat Censura Duacensis Facultatis in quasdam propositiones de gratia depromptas ex dictatis Philosophicis Dominorum Lengrand, & Marechal primorum Collegii Duacensis Professorum; quæ Censura proscripta est*, donec corrigatur, *ex Decreto Sacræ Congregationis ad Indicem die* XVIII. *Julii* MDCCXXIX. *indeque inserta Indici Librorum prohibitorum.*

III. A quibus autem ea Censura maxime fuisset expurganda, idem Monitum docet ex Actis Sacræ Congregationis Indicis, ex quorum Libro XVII. hæc ait se excerpsisse: *Die* XXXI. *Augusti* MDCCXXVIII. *provolutus ad pedes San-*

*Sanctissimi Secretarius petiit ab ipso, quid decernendum judicaret circa Censuram Duacensem, cujus judicium sibi reservavit. Cui respondit, se una cum Commissario Sancti Officii decrevisse, ut prohiberetur, donec corrigatur, tum in parallello facto inter doctrinam Dominorum Legrand, & Marechal, in quo multæ leguntur doctrinæ Thomistarum, quas uti damnatas in Jansenio supponit, cum tamen non sint damnatæ; non enim omnia a Jansenio prolata, damnata fuere ab Ecclesia, & a Summis Pontificibus, sed tantum ea, quæ leguntur in quinque famosis propositionibus proscriptis. Tum etiam corrigatur in scripturis illatis & expressis in ipsa Censura contra Mausolieum & Contensonium, & præcipue contra D. Thomam, qui in in eodem Articulo ab ipsis Censoribus allato abunde se explicat, Christum mortuum fuisse pro omnibus, & singulis peccatoribus, licet tantum efficaciter mortuus sit pro electis, uti respodet ad 2. ibidem. Quapropter mandavit Secretario, ut una cum alis Libris prohibitis, sive ab hac Congregatione prohibendis poneretur etiam Censura Duacensis, cum addito, donec corrigatur. Quod quidem Summi Pontificis judicium antedicto Sacræ Congregationis Decreto die xviii. Julii editum fuit.*

IV. Pergit prædicti Moniti Auctor, aitque, Sacram Duacensem Facultatem ad calcem memoratæ Censuræ profiteri, Censuram suam, & omnia, quæ in ea continentur, Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio se se ex corde submittere, improbareque & corrigere paratissimam esse quidquid improbandum, aut corrigendum supremo Christi Vicario visum fuerit. Notat hæc quidem Auctor Moniti, statimque addit, ipsam Duacensem Facultatem secundum præclaram hanc protestationem Romam misisse dominum Canonicum Tussanum Theodorum du Many, ut quid sua in Censura esset reprehensione dignum doceretur, atque adeo corrigendum, delendumve. Ut id autem facile præstiterit ipsa Sedes Apostolica, ex illius habemus Responso, quod laudatus Auctor Moniti citato loco descripsit ex jusdem Sacræ Congregationis Indicis Actis relatis citato Lib. xviii.

cujus ea sunt verba: *Feria tertia die 3. Aprilis MDCCXXXI. Fuit etiam lectus supplex libellus Canonici Tussani Theodori du Many pro correctione habenda Censuræ Duacensis prohibitæ*, donec corrigatur, *xviij. Julii MDCCXXIX. cui responsum fuit, ut ipsi Doctores Universitatis Duacensis corrigant, auferendo omnino parallellum in ipsa expositione doctrinæ aliquorum Doctorum cum doctrina Jansenii & quia in eodem parallello sunt plures doctrinæ Thomistarum, quæ tanquam prohibitæ, & damnatæ in Jansenio exponuntur. Et pariter auferatur ab ipsa Censura id quod dicitur de doctrina D. Thomæ, & Maussoliei, & Contensonii; & postea ad Sacram Congregationem remittatur correctio ita peracta, ut ab ipsa examinetur, an bene.* Hactenus tamen ad hanc usque diem inquit Auctor Moniti, nulla ejusdem Censuræ ad Apostolicam Sedem transmissa est de ea re emendatio.

V. Miror autem, prædictum Judiciorum Collectorem, qui pag. 483. & seq. Censuram Duacensem retulit, Sacræ Congregationis Indicis Decretum, quo prohibita eadem Censura est, *donec corrigatur*, minime retulisse; tum vero præsertim quod pag. 590. ubi agit de rebus gestis anno MDCCXXXIII. scribit: *Benevolos Lectores monitos velim, quædam Decreta Romanarum Inquisitionum in hoc libro exscripta esse, non quod jurisdictionem huic Tribunali in Galliis attribuamus, sed ne eruditi Theologi ignorent quæ a Romanis Censoribus reprobatum sit, tum ut ad verum dignoscendum citius perveniant.* Debuit ergo eam ob causam quam recenset, Decretum ipsum Sacræ Congregationis Indicis describere ad Lectorum eruditionem; nam alias quod ait de Romanarum Congregationum Decretis in Galliis minime recipi solitis, hoc parum refert, suam enim ubique ipsa Decreta habent auctoritatem, tum potissimum quod a Summis Pontificibus approbari solent. Quicquid sit, perperam quidem Viros illustres pietate & doctrina Contensonium, & Massoliejum Duacensis Facultas carpsit, meritoque iccirco illius Censura vetita fuit, donec corrigeretur, auctoritate etiam Summi Pontificis. Im-

Immunes autem Auctores ipsos fuisse ab omni labe Janseniani erroris, jam præter alios ostendit Vir doctissimus Fulgentius Bellelli in suo Libro, cui Titulus: *Mens Augustini*. Quanto autem Romæ in pretio haberetur Maussoliejus, testis est marmorea inscriptio, quæ extat in Templo S. Mariæ ad Minervam posita prope lateralem insignis ejus Templi portam.

VI. Sed his omissis, tametsi non semel contigerit, ut correctio librorum vetitorum a Sacra Congregatione committatur Auctori ipsorum, ea nempe lege, ut facta ab Auctore correctio approbetur postea ejusdem Congregationis Decreto; consuevit tamen ipsa Congregatio, ubi libros vetuit, ex benignitate, eorundem Auctori rationem Correctionis peragendæ præscribere. Hinc cum Sacræ ipsi Indicis Congregationi a Theophilo Raynaudo supplicatum fuisset pro facultate corrigendi tres libros a se editos, & ab eadem Sacra Congregatione prohibitos, vel suspensos, quorum Tituli sunt. I. *De Martyrio per pestem ad Martyrium improprium, & proprium vulgare comparato*. II. *Error popularis de Communione pro mortuis*. III. *Erotemata de bonis ac malis libris*. simulque idem institisset, ut sibi ratio traderetur ad cujus præscriptum correctionem hujusmodi recte instituere, ac exequi oporteret, nec ullam a se moram, quominus omnia, quæ Eminentissimis, ac Reverendissimis Dominis Cardinalibus Congregationis visa fuerint, emendaret, futuram ostenderet; eadem Sacra Congregatio, collaudata prius pietate Viri, ac docili in comparendo ad salutaria Ecclesiæ monita ingenio, & voluntate, referente Cardinale Brancaccio, auditisque votis Consultorum ad id specialiter deputatorum, facultatem corrigendi dictos libros a memorato Theophilo Raynaudo petitam omnino ei concedendam judicavit, Decreto de ea re edito Feria III. die XVI. mensis Septembris anni MDCLIX. quod ms. legi inter Opera ejusdem Auctoris in Bibliotheca Casanatensi, ubi etiam habetur, Sacram Congregationem correctionis ab eo peragendæ rationem hujusmodi esse debere decrevisse.

VIII. Ergo quod correctionem spectat ejus Libri, qui inscriptus est, *De Martyrio per pestem &c.* jussit Sacra Congregatio, ut *primo Titulus mutetur in hunc*: De Martyrio per pestem ad Martyrium improprium, & proprium Ecclesiasticum comparato. Disquisitio Theologica Theophili Raynaudi Societatis Jesu Theologi. *Cætera deleantur*. Secundo pag. 497. *addantur hæc verba*: Hæc sunt, quæ pro commendanda Charitate eorum, qui inter ministrandum peste contractis vitam amittunt, dicenda occurrunt. Cui Charitati, qua major adversus proximum nulla est, cum propter Deum impenditur, eximiæ fortitudinis, & Martyrii nomen convenit; non tamen in ea acceptione, qua Patres Doctores Ecclesiæ vocant illos, qui in pugna, & certamine cum Tyranno propter Deum vitam non resistentes ponunt, suntque magis explicite, & formaliter testes, & ideo per excellentiam, sive antonomastice Martyres appellantur, qui soli cultum Martyrum nomine in acceptione apud Ecclesiam hactenus usitata censentur. Illi privilegio hoc gaudent, ut gratiam ex opere operato consequantur, & ab omni pœnæ reatu absolvantur. Quod privilegium ad istos non ea probabilitate extendi potest quoad illos, quos neque certum est, sed probabile tantum, hoc privilegio gaudere. *Tertio expungatur id quod Auctor scribit, eum futurum Martyrem, cui mors intentaretur, si piam sententiam de Conceptione B. Mariæ Virginis immaculata improbaret, isque mallet mortem prius acceptare eam ob causam, ut re ipsa eam exciperet.*

IX. Sequitur deinde Correctio Libri inscripti: *Error popularis de Communione pro mortuis*. Mandatque Sacra Congregatio, ut primo in Titulo deleantur verba: *Error Popularis*. Secundo, num. 28. *deletis illis duobus §. usque ad numerum 29. supponantur hæc, aut similia verba*: Fateor quidem, Orationem tunc temporis fusam, esse utilem defunctis, ut mox dicebam, quia fructuosior est tunc quam regulariter fit quovis alio tempore, cum tunc homo sit in optimo statu ad precandum, tum ratione augumenti

gra-

gratiæ susceptæ vi Sacramenti, vi cujus opera digna evadunt, tum quia ferventius tunc quis orare solet, Deum suum specialiter sibi præsentem alloquens, & quodammodo complectens; tum quia major tunc est spei locus, orationes nostras exaudiendas esse. Ceterum Communio ex opere operato, & formaliter vi Sacramenti semper inutilis est defunctis. Unde responsio hæc prima licet sufficiens ad retinendum usum inductum cummunicandi pro mortuis, tanquam iis suffragantem simpliciter, est tamen inidoneus, si fructus ex opere operato, & vi Sacramenti intendatur. *Tertio deleto titulo numeri 36. ponantur verba Auctoris usque ad versiculum*, deinde sistendo, *in eodem numero 35. & his verbis*, deinde sistendo, *deleantur quæ sequuntur usque ad numerum* 42. *Quarto in numero* 42. *prædicto deleantur a verbo*, quamvis autem, *usqae ad numerum* 43. *Quinto in numero 56. deleatur a verbo*, secunda nihilo fortior est, *usque ad versiculum*: Non sane parum honorifice. *In numero 57. substitui possunt hæc, vel similia verba*: Secunda nihilo fortior est, Deus enim, & venerabilitas Sacramenti ex veris ejus fructibus, non ex fictitiis desumenda est &c. *Sexto, numero 58. in fine addantur hæc, aut similia verba*: Demum explicetur, in quo sensu defunctis fructuosa esse posit Sacra Communio.

VIII. De correctione tandem Erotematum, *De bonis ac malis libris*, ita statuit Sacra Congregatio: *Primo pag. 5. dele a verbis*, admovisse Indici, *usque ad finem* §. *Hæc, vel similia verba addantur*: Clemens VIII. eidem Indici extremam manum admovit. *Secundo pag. 8. dele illa verba*: Sed quia ita fert eorum fatum confixioni patentes. *Tertio pag. 135. in* §. Eidem S. Cyrillo, *deleantur illa verba*, imposita S. Cyrillo quo ad Divinitatem. *A numero* 501. *usque ad numerum* 509. *deleantur omnia, quæ pertinent ad damnationem Libri, Authore inaudito; & in fine numeri 508. ponantur hæc, vel similia verba*: Alia tamen est ratio aliorum Librorum, qui cum duplici titulo vetari soleant, scilicet per modum medicinæ ad avertendum Fidelibus malum, quod ex eorum lectione haurire possent; & per-

& per modum pœnæ, ut Auctor, qui peccat in abusu doctrinæ, in eodem genere puniatur. Sæpe Auctores immerito queruntur, dum minime auditi condemnantur. Hoc enim iis certe deberetur, si ageretur causa contra illos ut reos. Verum ubi per Librorum prohibitionem bono Fidelium consulitur, etiamsi aliqua inde nota in ipsos derivetur indirecte, monitio illa necessaria non est.

IX Sequuntur deinde aliorum locorom correctiones; *pagina* 249. *dele*, tum ut occurreret, *usque ad illa verba*, nova sententia; *pag.* 293. *dele*, Michaelis Ralardei, *usque ad finem*; *pag.* 294. *dele*, placet non omittere, *usque ad finem* §. *& adde hæc vel similia verba*: Plura possem afferre exempla hujusmodi ineptarum censurarum, sed & libens omitto; *ibidem a numero* 516. *usque ad numerum* 528. *dele*; *pag.* 304. *dele*, ejusdem generis, *usque ad finem* §. *pag.* 325. *dele ab illis verbis*, necnon Bellarmini, *usque ad finem* §. *pag.* 329. *deleatur a verbis*, sane in nullius, *usque ad finem* §. *In Indice deleantur illa verba*: Benedicti Secundi retractatio iniquæ sententiæ; *item illa*: Doctores omnes etiam simul sumpti fallibiles; *item illa*: Henriquez male notatus; *illa*: Julianus Toletanus exsolutus iniqua damnatione; *illa tandem*: Sa non bene notatus, & illa doctrina vere probabilis manet talis etiam damnata.

X. Hæ sunt correctiones Raynaudo a Sacra Congregatione præscriptæ, quæ etiam, ut legitur in citato ms. folio, quod extat inter ejusdem Auctoris Opera in Casanatensi Bibliotheca, *Libros prædictos ita correctos, atque emendatos decernit ab omnibus retineri, ac legi, atque iterum, servatis alias servandis, imprimi posse*. Et hic nota summam Sacræ Congregationis Indicis caritatem in concedenda Auctoribus suorum Librorum correctione, & expurgatione, ut illos iterum correctos, expurgatosque valeant typis committere. Cæterum, ut alios omittam, merito fuisse eum Raynaudi Viri cæteroqui eruditissimi Librum, qui inscriptus est, *Error popularis de Communione pro mortuis*, ubi scilicet perperam conatur ostendere, inutilem esse defunctis Eucharisticam vivorum Communio-

nio-

nionem, maleque concludit, *simpliciter negandum prodesse mortuis*, a Sacra Indicis Congregatione proscriptum, vel ipsa prædicti Libri inscriptio nos docet, in quo etiam Auctor non erubuit scribere, *conjugales amplexus utiliores esse animabus Purgatorii Communione quamlibet pia, & devota*. Confutavit inter alios hunc Librum Vincentius Baronius in suo Apologetico Lib. III. pag. 482. & seq. ubi etiam monet, occasionem scribendi eum Librum fuisse æmulationem in Patres S. Andreæ de Valle, Theatinos scilicet Clericos Regulares in ea Domo habitantes, quod non posset ferre frequentiam populi in ipsa Ecclesia. Tunc enim temporis, centum nempe ab hinc annis, ut idem Baronius notavit, ad S. Andreæ Ecclesiam singulis hebdomadæ secundis feriis confluebat *quicquid ex prima nobilitate virorum ac mulierum Romæ habet pietas Christiana. Ibi dies feriales videntur versi in solemnissimos totius anni; eo conveniunt Cardinales, Principes &c.*

XI. At his omissis, ut magis magisque videas, quanta sit Sacræ Indicis Congregationis conniventia erga Auctores, eorumque Libros, non semel contigit, ut correctionem etiam Librorum illorum permitteret, qui magna ex parte erroribus scaterent. Quod ut aliquo exemplo ostendam, Decretum describam ab ipsa Congregatione editum anno MDCLXIII. die XXV. Jannuarii de correctione Libri, qui inscriptus est, *Josephina Lucernensis, in qua Lucernæ Helvetiorum S. Joseph Vir Mariæ &c. centum elogiis illustratur, atque propugnatur, præside Jacobo Reifs*, Constantiæ anno MDCLVIII. Decreverunt siquidem Cardinales, Librum ipsum, auditis prius de more Relatoribus, corrigendum esse juxta hanc formam: *Deleantur Elogium primum, secundum, tertium, quintum, sextum, decimum septimum, vigesimum quintum, vigesimum sextum, vigesimum octavum, trigesimum, trigesimum primum, trigesimum nonum, quadragesimum secundum, quadragesimum octavum, quadragesimum nonum, quinquagesimum septimum, quinquagesimum octavum, sexagesimum primum, sexagesimum quartum, sexagesimum octavum,*

*se-*

*ſeptuageſimum quintum*, *totaque quæſtio ſingularis poſita in fine Operis*; *ſicque Librum prædictum correctum atque emendatum*, ut in Actis legitur Reverendiſſimi Secretarii Fr. Hyacinthi Libelli pag. 214. *iidem Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini*, *ſervatis alias ſervandis*, *iterum imprimi*, *ac evulgari permiſerunt*: *impreſſos vero*, *ac evulgatos*, *deletis*, *ut ſupra*, *delendis*, *licite*, *ac libere retineri*, *& legi poſſe declaraverunt*.

## C A P. XI.

*Crimiminatio, & querimonia adverſus Sacram Congregationem Indicis, ejuſque Secretarium refellitur, quod Librorum prohibitio fieri ſoleat Auctore inaudito, eique notam infamiæ inuret.*

I. PErperam carpi a nonnullis illum Sacræ Congregationis Indicis ſtylum, prohibendi Libros, *Auctore inaudito*, conſtat plane ex illa ejuſdem Sacræ Congregationis doctrina, in Capite præcedenti relata; ubi nempe egimus de correctionibus ab illa Theophilo Raynaudo præſcriptis, apponendis in Opuſculo, *De bonis ac malis libris*. Poſtquam enim Sacra Congregatio prædicto Auctori mandavit, ut a numero 501. uſque ad 509. delerentur omnia, quæ pertinent ad damnationem Libri, *Authore inaudito*, juſſit quoque, ut in fine numeri 508. hæc, vel ſimilia verba ponerentur: *Alia tamen eſt ratio Librorum, qui cum duplici titulo vetari ſoleant, ſcilicet per modum medicinæ ad avertendum Fidelibus malum, quod ex eorum lectione haurire poſſent, & per modum pœnæ, ut Auctor, qui peccat in abuſu doctrinæ, in eodem genere puniatur. Sæpe Authores immerito conqueruntur, dum minime auditi condemnantur; hoc enim iis certe deberetur, ſi ageretur contra illos ut reos. Verum ubi per Librorum prohibitionem bono Fidelium conſulitur, etiamſi aliqua inde nota in ipſos derivetur indirecte, monitio illa neceſſaria non eſt.*

II. Hinc immerito, perperamque in ſupplici ad Urba-

banum VIII. libello pro caufa Elucidarii fui, quod Romæ prohibitum fuerat, conquerebatur Poza pag. 83. a tergo, *inconfulta Hifpania, & illius fuprema Inquifitione, & doctiffimis Viris, inaudito Authore, contra formam Juris Divini, & humani*, fuum Librum fuiffe prohibitum. Iterum repetit, contra jus Divinum, ac naturale, fe inaudito, fuos Libros fuiffe Romæ a Sacra Congregatione confixos, *Authore inaudito*, iraque percitus *illos ipfos Cenfores Theologos, qui Opus*, prædicti nempe Elucidarii, *condemnarunt, cogi poftulat, ut in fcriptis exhibeant damnationis fundamenta; id fi palam facere detrectent, manifeftum effe* ait, *parum ipfos de prima illa Cenfura confidere, fed tutius arbitrari agnitam delere, & meliorem furrogare*. Addit & alia, quæ tædet defcribere, ac præfertim illud, non debuiffe Hifpani Auctoris Libros Romæ vetari, quos fuprema Hifpaniæ Inquifitio, & Cenfores probaffent, exageratque *infinita, & quidem ampliffima in S. R. E. collata ab Hifpanis benefi ia, quæ trabali clavo, omni m emoria figenda funt &c.* Veneror equidem Hifpanam Inquifitionem, egregiamque Hifpanæ Gentis in Sanctam Romanam Ecclefiam pietatem, fed longe magis recolenda eft Romanarum Congregationum Auctoritas, & Romanæ Ecclefiæ erga Hifpanam Gentem pietas, quæ dicere eidem merito poteft illud Apoftoli: *Quid habes, quod non accepifti; & fi accepifti, quid gloriaris quafi non acceperis?*

III. Sed non eft noftri inftituti hanc rem fufius explicare. Certum eft, erraffe & in eo Pozam, ubi lato calamo conatur probare, infamiæ notam femper inuri Auctori ob ejus Libros Romæ confixos. Plures enim Libri non modo Laicorum, Regulariumque, fed & Epifcoporum, aliorumque fanctitate, & doctrina illuftrium, & a prifcis Conciliis, & a Sacra Indicis Congregatione improbati funt, nulla inufta illorum Auctoribus infamiæ nota, tum potiffimum, quia non folum non dolo malo Libri ab eifdem exarati, verum etiam fubjecti fupremo Apoftolicæ Sedis judicio fuiffe putantur. Hinc tametfi in Concilio Generali IV.

Lateranensi Libellus B. Joachimi Abbatis adversus Petrum Lombardum, ejusque opiniones de Trinitate damnatus sit, haud tamen Auctor illius damnatus, quia nimirum is se, & sua scripta judicio Romanæ Ecclesiæ subjecit. Vide quæ de hac re scripsimus nos Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem II. ubi etiam Num. 4. pag. 244. Honorii Papæ III. Epistolam recensuimus anno Christi MCCXXI. datam adversus eos, qui de Joachimo Abbate, atque ejus Monasterio Florensi, ob damnationem illius Libri, obloquebantur. Ex quo addiscimus, perperam queri Pozam, ob suum vetitum Romæ Librum notam non sibi modo, sed & Societati Jesu, cujus erat alumnus, imo & Hispaniæ toti fuisse inustam, quasi inclytæ Societati Jesu, & illustri Nationi Hispanæ, quæ semper sapientissimis Auctoribus, & de Catholica Ecclesia optime meritis abundavit, Libri Pozæ damnatio summum, & irreparabile dedecus, & ignominiam attulerint.

IV. Porro ut vel Raynaudus scitissime docet in Opere, *De malis, ac bonis Libris, deque justa, aut injusta eorumdem confixione*, edito Tomo XI. editionis Lugdunensis anno MDCLXV. in Clausula ejusdem Operis, pag. 377. Num. 571. humilitas tenenda est ab Auctoribus post suorum Librorum confixionem: *Absit*, inquit, *ut contra stimulum calcitrare, & impatientius, excepta confixione, obfirmari in errore, & calces Censoribus illidere inducant in animum*. Notanda verba, quæ subdit: *Quo in genere Michael Bajus æternum quibusvis Scriptoribus exemplum sapientiæ, & virtutis statuit, cum confixis a Francisco Toleto per Pontificem ad id delecto nonnullis ejus Libris, oblataque Censura, an acquiesceret, rogatus*: malle se, *dixit*, porcos pascere, quam cujuscumque per Ecclesiam delecti judicio de scriptionibus suis, pervicaciter obluctari. *Muniendus humilitate est animus*, subjicit etiam mox Raynaudus, *& exprimenda imitatione S. Augustini demissio, qui paratum se profitebatur etiam ab indoctioribus corrigi. Quanto igitur magis paratum esse quemque oporteat, ut ab iis corrigatur, quibus jus sit, & qui merito porrigere sup-*

*po-*

*ponuntur*. Tales profecto sunt Romanæ Sacræ Cardinalium Congregationes, quorum decreta temere, & non sine animarum pernicie, hæreticorum plausu, & Christiani populi scandalo contemnere aliqui non verentur, libellis etiam famosis ipsas non modo Congregationes Cardinalium, sed quod horrendum est dictu, Caput ipsum Ecclesiæ, Sanctissimum Christi in Terris Vicarium, Romanum Pontificem Maximum sugillantibus, grandi non sine impietate palam editis, ac toto Orbe dispersis. Hujusmodi profecto est Epistola pseudodoctoris Sorbonici ad Amicum Belgam, quam tamen egregie confutavit Romanus Philalethes in sua ad Theologum Lovaniensem Epistola, quæ est, *De justa Bibliotheca Jansenianæ proscriptione*; quæ quidem Epistola ob omnigenam, qua referta est, eruditionem, & ob Romanarum Congregationum, ac præsertim Summi Pontificis defensionem adversus calumnias pseudoctoris Sorbonici, non modo semel & iterum in Italia, sed & in Germania, & in Galliis, ac aliis locis, merito fuit typis mandata.

## C A P. XII.

*De Oeconomia Apostolicæ Sedis in vetandis aliquando Libris sanam etiam doctrinam continentibus ob lectionis eorum abusum.*

I. MOrem fuisse Ecclesiæ, ut multa sancte pieque a Majoribus nostris instituta, quod lapsu temporis non pauci in suarum, & aliarum animarum perniciem eisdem abuterentur, prudenti œconomia abrogaret, innumeris pene exemplis comprobari posset. Hujusmodi sunt vigiliæ, & pernoctationes in Templis, & Cœmeteriis, quas Sanctus Hieronymus in Commentariis ad S. Matthæi Evangelium, Cap. xxv. ex traditione Apostolica inductas esse affirmat. Ad eas olim Viri, ac mulieres præsertim in Vigilia Paschæ, ut est apud S. Clementem, sive alium ejus nomine Auctorem priscum, Lib. v. *Constitutionum*, Cap. xxx. & Lactantium, Lib. XII. *Institutionum*, Cap. XIX. *de nocte*

*conveniebant*, vacantes piis colloquiis, & Sacris Lectionibus, ac Concionum auditioni, ut habet S. Augustinus Lib. vix. *Confessionum*, Cap. viii. & Hymnis a S. Ambrosio additis, eodem teste Augustino. Sed ipsæ tandem vigiliæ, quæ vel S. Hieronimi ævo, ut ipse testatur adversus Vigilantium scribens, *culpa juvenum*, *& vilissimarum mulierum* infamabantur, ea nominatim ex causa, per consuetudinem fere universalem, demta nocte Natalis Domini, abrogatæ penitus sunt, ne per occasionem hujusmodi pernoctationum sive ex laicis, sive ex Sacro Ordine haud impeccabili, impurus quispiam designaret aliquid pugnans cum loci sanctitate, ut contigisse plerisque ethnicorum Sacerdotibus, ex S.Cyrillo Lib. vii. in Julianum sub finem res suo tempore gestas in Templo Saturni describente, utique per spurcum Sacerdotem Tyrannum nomine, & ex Ruffino S. Cyrilli suppare Lib. iv. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. xxv. notissimum est.

II. Usam quoque fuisse Ecclesiam prudenti œconomia in rebus, quæ doctrinam Catholicam spectant, jam notavimus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem lxxxi. Trullanum, ubi explicuimus Sacri Trisagii originem, ejusque additamentum, quo in nonnullis locis post illud: *Sanctus Immortalis*, dici solitum erat: *Qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nostri*. Lectorem enim ad prædicti Commentarii calcem monuimus, quod circa eam appendicem accidit, idem contigisse circa eam propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est*. Eam enim duo Summi Pontifices Felix III. & Hormisda veluti Eutychis errori faventem rejecerunt; duo vero alii Summi quoque Pontifices, Ioannes XI. & Agapetus cum tota Ecclesia tanquam Catholicam probarunt, ubi scilicet accessio illa ad solum Filium dirigeretur pro nobis incarnatum, & in carne crucifixum. Ex quo vides, ea etiam, quæ Dogma Catholicum spectant, ubi periculum malæ interpretationis subesset, consuevisse ab Ecclesia interdici. Videsis de hac re peculiarem Tractatum Scriptoris undequaque doctissimi S. R. E. Cardinalis Noris.

III. His

III. His præmissis, jam non mirum videri debet, si Libri sanam doctrinam continentes eam ob causam aliquando vetentur, quod multi eorum lectione abutantur. Certe Regula IV. Indicis denegans absolutionis beneficium iis, qui Sacra Biblia vulgari idiomate conscripta legunt, ac retinent, non accepta a Superioribus facultate, definit haud dubie lectionem istam, retentionemque illegitimam, peccatum esse læthale. Sapienter autem, & prudentissime id esse ab Ecclesia constitutum jam pridem adversus Novatores, & novissime adversus Quesnellum, & Jansenianæ Factionis homines perditos a Clemente Papa XI. in sua celeberrima Constitutione, *Unigenitus*, quotquot in eam Constitutionem scripsere luculenter demonstrarunt ad Propositionem LXXX. atque alias sequentes ejusdem Quesnelli. Quamvis enim in quamcumque linguam vertantur Sacræ Litteræ suapte natura sanctæ sint; perspecta tamen hominum malitia, periculosæ, ac perniciosæ sunt hujusmodi traductiones, ut præ ceteris ostendit præstantissimæ Societatis Jesu Theologus, & Sacri Collegii, atque Ecclesiæ Catholicæ decus eximium Cardinalis Bellarminus. Quare in re ad salutem non necessaria consulendum potius est multorum profectui traductiones ipsas interdicendo, quam paucorum utilitati eas cum gravi multitudinis incommodo, atque periculo permittendo. Parvulis enim, rudibus, feminis, infirmis in Fide, libertinis, & impiis tutum non est Scripturas divinas evolvere, ac reserare. Unde sapientissimo consilio earum lectionem iisdem interdictam voluere, & complura Episcoporum Concilia, & Summorum Pontificum Decreta; cum experientia constiterit, multa inde orta esse scandala, & abusiones.

IV. Similem fere ob causam inter vetitæ lectionis Libros relatum fuit celebre illud Novemvirale *Consilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente, inscriptum, & exhibitum*, Romæ editum typis Antonii Bladi anno MDXXXVIII. cujus inter alios mentionem facit Spondanus ad annum MDXXXVII. Num. VIII. ubi delecti illi Car-

Cardinales, & Prælati recensentur, qui fuere Gaspar Cardinalis Contarenus, Joannes Petrus Cardinalis Theatinus, Iacobus Cardinalis Sadoletus, Reginaldus Cardinalis Polus, Fridericus Fregosius Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Aleander Archiepiscopus Brundusinus, Joannes Matthæus Gibertus Episcopus Veronensis, Gregorius Cortesius Abbas S. Georgii Venetiarum, & Fr. Thomas Badia Magister Sacri Palatii. Hoc Consilium, quod nihil continet Fidei, vel bonis moribus absonum, vetitum quidem legitur in Indice Pauli IV. Papæ auctoritate confecto, tametsi is Pontifex unus ex illis Cardinalibus delectis fuisset, nempe dictus ante Pontificatum Joannes Petrus Cardinalis Theatinus, quod nempe Theatinam Ecclesiam in nostro Regno Neapolitano administrasset. Unde etiam Theatini hodieque dicuntur Clerici Regulares, quos idem Pontifex, cum esset Episcopus Theatinus, una cum S. Cajetano Thieneo Presbytero Vincentino, & duobus aliis eximiis Viris instituit, uti addiscimus ex Litteris Clementis Papæ VII. ad eosdem datis die XXIV. Junii anno Domini MDXXIV.

V. Porro viso eo Consilio, in quo præcipua reformationis capita ad recte universæ Ecclesiæ disciplinam, & œconomiam, ipsiusquemet Summi Romani Pontificis, & Episcoporum officium pertinentia continebantur, explicari satis nequit, quam lætati sint hæretici, ac pene triumphos egerint; sed frustra tamen, neque enim reformationem in pluribus necessariam esse, negarunt unquam Catholici, quæ etiam desiderabatur summopere ab ipso Pontifice Maximo laudato Paulo III. de cogendo Tridentino Concilio deliberante; sed salva tamen Fide Catholica, salva Ecclesiæ Unitate, salva Summi Pontificis, & Romanæ Sedis Apostolicæ, cui omnes obedire tenentur, auctoritate, ac reverentia; quæ tamen omnia convellebant nati seculo XVI. Novatores, qui accepto prædicto Consilio, veluti victores illud mox ediderunt Argentorati anno MDXXXVIII. a littera A ad G, addita scilicet a Joanne Sturmio ad Cardinalem Contarenum Epistola insultationibns, & sarcasmis re-

redundante. Etiam Lutherus, ut testatur Surius in suo brevi rerum in Orbe gestarum Commentario ad annum Christi MDXXXVIII. pag. 320. Consilium ipsum, seu Reformationem *vertit Germanice, & a margine sua adscripsit Scholia, non alio magis, quam tali Viro digna; ipsos autem Reformationis Auctores, quorum etiam, Sturmio fatente, erat multa eruditio, & vitæ integritas, non est veritus adpellare perditos, ac deploratos nebulones*. Sed non mirum videri debet, erat enim Lutheri os maledictione plenum, & amaritudine, & dolo; ejusque audaciam imitatus Sturmius, jam minime a conviciis, & conuumeliis abstinuit; id quod in eo reprehendit doctissimus Cardinalis Sadoletus.

VI. His accedunt & impudentissima Sleidani mendacia, qui recitatum delectorum Patrum Consilium, seu Reformationis consultationem, quam etiam ait aliquot Cardinales clam obtulisse Pontifici, Paulo nempe III. addit mox, Nicolaum Archiepiscopum Capuanum omnis Reformationis impatientem, a Pontifice submissum, *ut certo creditur*, inquit, magna contentione reclamasse, nequid omnino reformaretur, itaque passos esse Patres, atque Pontificem, sibi persuaderi, nequid mutaretur. Rursus addit, eundem ipsum Nicolaum emisso clauculum in Germaniam Libello, voluisse Pontificem, atque Reformatores, illos præbere deridendos. Ita enim ait, plerosque id accipere; alios putare dicit, non nescio Pontifice exiisse Libellum, ut sic aliquid potius studium appareret emendationis. Narrat hæc quidem de Sleidano Surius loco citato, & post eum Spondanus ad annum MDXXXVII. Num.VIII. qui etiam impudentissimi hominis in Pontificem calumniam egregie confutant. Ait porro Sleidanus, *certo credi*; ait, *plerosque ita accipere*; ait, *alios putare*. Qui tandem illi sunt, nisi Sleidanus, & ejus similes, Romani Summi Pontificis, & Ecclesiæ Catholicæ obtrectatores? Sed ut magis magisque pateat Sleidani calumnia, scite obseruat Spondanus, perperam ab eo dici, Reformationem ipsam verbis quidem fuisse conceptam, non tamen repræsentatam, nec

nec in publicum eductam fuisse; cum nihilominus in Germaniam eam asportatam esse (missam clauculum ut idem ait, ut studium appareret emendationis) necesse fuerit, quandoquidem & ipse ejus Capita enumerat, & Lutherus vernaculo, ac Sturmius Latino sermone parvis suis Commentis, uti jam superius dictum est, ei detraxisse reperiuntur; quorum etiam calumniandi, & convitiandi temeritatem Cochlæus in Actis Lutheri anni MDXXXIX. & Sadoletus Cardinalis retuderunt.

VII. Summa itaque fuit Sleidani impudentia, & calumnia in Summum Pontificem, ubi scribit, ipso instigante, Archiepiscopum Capuanum reclamasse, *nequid omnino reformaretur*, conceptamque verbis Reformationem per simulationem, ut sic aliquid Pontificis studium de reformanda Ecclesia appareret, minime fuisse promulgatam. Verum quod a Papa ejus Reformationis Capita non fuerint tunc promulgata, pronum est conjicere, quod alias notavit Spondanus, nempe, *id contigisse, quoniam decreverat Pontifex ea in publico Concilio, quod indixerat, proponere, quo pleniori, & acceptiori auctoritate cunctis facilius insinuaretur. Et quamvis id demum factum non sit, quæ tamen ad rem pertinere existimata sunt, fuere singulis Synodi Tridentinæ Sessionibus sub Titulis*, De reformatione, *proposita, & subsequuta est affatim omnium Ordinum, & Curiæ Romanæ reformatio post celebrationem Concilii sub Pio V. & Successoribus Pontificibus*. Certe præposuit eadem ipsa Capita Petrus Crabbe Ordinis Fratrum Minorum alumnus in sua Conciliorum editione Synodo Tridentinæ velut ejus exordium, negarique non potest, non pauca ex illis Capitibus in Concilii Tridentini Decretis, quæ ad reformationem spectant, inveniri.

VIII. Præter Lutherum, Sturmium, Sleidanum, aliosque hæreticos ejus ævi, jam & sequioris quoque heterodoxi ea Reformatione abusi sunt, inter quos Wilielmus Crashavv Anglus veluti magnum quid adversus Summum Pontificem prolaturus, eamdem Reformationem rursus prælo excudit anno MDCIX. Londini in 4. typis Felicis Kyngston,

ſton, & Richardi Boyle, præfixo Titulo: *Conſilium delectorum &c. ante annos LXX. in Concilio Tridentino primum editum, deinde Romani Antichriſti tyrannico juſſu ſuppreſſum, nunc autem ab interitu vindicatum, & denuo recuſum*. Ex dictis conſtat aperte, hunc Anglum mentiri, non enim primum in Concilio Tridentino Conſilium ipſum delectorum Patrum editum fuit. Sed nec erat, cur recoqueret putidiſſimam Petri Pauli Vergerii apoſtatæ infamis calumniam, quam Paulo IV. impegit in Annotationibus in Indicem Librorum prohibitorum ejus Pontificis juſſu evulgatum, Tomo 1. Operum adverſus Papatum ab illo editorum, ubi impudentiſſime hæc ſcribit: *Cum ergo Paulus IV. ſibi, ac ſuæ Romanæ Synagogæ inflicta eſſe, ac infligi quotidie ex iſto Libello vulnera non levia, propter liberiores ſcilicet illas, quas recitavi voces, & confeſſiones, hunc quoque Libellum, ſi Deo placet, projecit nunc inter eos, quos velit a nemine legi, hoc eſt inter hæreticos. Sed quod caput eſt, & pluris quam omnia, ipſemet Paulus IV. fuit unus eorum, qui concinnarunt, & dictarunt Libellum. Quis non ſtomachetur? Quis non horreſcat?*

IX. Stomachari oportet qui hæc legat, atque exploratas habeat juſtiſſimas cauſas, ob quas Conſilium illud de emendanda Eccleſia a Paulo IV. e Fidelium manibus ereptum ſit, atque in Indicem Librorum damnatæ lectionis relatum. Nam præterquamquod id eo conſilio prudentiſſime factum eſt, ne quod vulgo ferebatur, ejuſdem Conſultationis Articuli Pontificia auctoritate muniti crederentur, confirmatique, antequam Concilio Generali proxime convocando ſubjiceretur, quod ſcitiſſime animadvertit Religioſiſſimus æque ac doctiſſimus Cardinalis Quirinus in Epiſtola refutatoria Joannis Georgii Schelhornii, qui in Epiſtola ſua ad ipſum Quirinum ſcripta eandem calumniam Vergerii, & Craſhavv iterum recoxit; certum ex dictis ſuperius, exploratumque omnibus eſt, peſſime uſos fuiſſe hæreticos ea Novemvirali Conſultatione, & quidem non modo ut Summo Pontifici, Curiæque Romanæ inſultarent, ſed ut Catholicos, Fideleſque ſimpliciores ad ſuas partes

traherent. Ceterum, ut taceam varias antiquiores ipsius Consultationis factas vel ab ipsis Catholicis editiones, ubi scilicet scrupulus abutendi ipsa sublatus fuit, eandem edidit in Historiam Seculi xvi. Natalis Alexander ubi de Paulo III. agit, ut nequaquam dici possit, quod hæretici hariolati sunt, eam fuisse præ pudore suppressam.

X. Placuit hæc fusius describere ob excitatam nostro hoc ævo de ipsa Consultatione inter laudatum Eminentissimum dignitate & doctrina S. R. E. Cardinalem Quirinum Sacræ Indicis Congregationis Præfectum, & Georgium Schelhornium, qui summa non nisi temeritate Pauli IV. Papæ, & laudatæ Congregationis œconomiam in prohibendis Libris, morem decessorum suorum protestantium sequutus perperam conatur impetere. Sed & ex nostra narratione illud jam addisci potest, licet Libri nullum errorem contineant, prudenti eosdem consilio a Sacra Congregatione interdici, sive ad vitandos tumultus, sive alias ob causas sapientissimis Cardinalibus notas. Hinc non mirum si anno elapso MDCCL. prohibita a laudata Sacra Congregatione Indicis fuerit Epistola critico-apologetica posthuma vulgari idiomate scripta sub nomine Ægidii Mariæ Giuli Societatis Jesu Theologi de studiis ejusdem suæ Religionis Lucæ edita anno MDCCL. typis Josephi Salani, & Vincentii Juntini, licet nulla fortasse ex ipsa Epistola appareat causa, cur prohibitionem meruerit.

## C A P. XIII.

### *De veneratione Decretis Sacræ Congregationis Indicis debita, eorumque obligatione ubique, & apud omnes*

I. Summam esse Cardinalium dignitatem, atque auctoritatem in Ecclesiam Catholicam, perspicue ostendimus Tomo I. Commentariorum in Cæremoniale S.R.E. Lib. I. Tit. VIII. ubi varia loca Summorum Pontificum, ac Patrum attulimus ad eam rem magis magisque comprobandam. Eandem dignitatem etiam supra Episcopos omnes agno-

agnovit non uno in loco S. Bernardus, præsertim vero in Libris, *De Consideratione ad Eugenium Papam*, Tertium scilicet ejus nominis, ubi eos vocat collaterales, coadjutores Papæ, ac Orbis Judices. Olim quidem licet Pontifices in gravioribus negotiis convocarent Concilia Episcoporum, quibus tamen Cardinales Presbyteri intererant, verum cum auctis Ecclesiæ opibus, cœpissent Pontifices indigere Consiliariis, & Adjutoribus, nec possent tam sæpe evocari Episcopi, Conciliis prætermissis, res tota reducta est ad Senatum Cardinalium, idque multo commodius, quod magis in promptu sint. Audiendus Sanctus Bernardus, qui in Epistola CLXXXVIII. ad Episcopos, & Cardinales Romanæ Curiæ ita scribit: *Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses, cum montem subiit*, Habetis, *inquiens*, Aaron, & Ur vobiscum; siquid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos: *Illum loquor Moysen, qui venit per aquam, & non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine. Et ideo plusquam Moyses, quia & in sanguine venit. Et quoniam pro Ur, & Aaron stat zelus, & auctoritas Romanæ Ecclesiæ super populum Dei, ad ipsam merito referimus, non quæstiones, sed læsiones Fidei, & injurias Christi, Patrum probra, atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum. Legite, si placet, Librum Petri Abailard, quem dicit Theologiæ, & videte qualia ibi de Sancta Trinitate dicantur, & alia innumera Catholicis auribus, & mentibus insueta, &c.* Tum vero mox ad eosdem Cardinales hæc habet, quæ & rem nostram spectant: *Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua polletis; pro potestate, quam accepistis.*

XI. Si itaque ex testimonio S. Bernardi tanta est Cardinalium in discutiendis, ac proscribendis Libris potestas, quia scilicet, ut idem S. Doctor docet Lib. IV. *De Consideratione*, Cap. V. eliguntur ipsi a Papa, *de toto Orbe judicaturi*, multo major dici debet eorum Cardinalium auctoritas, qui ab ipso Papa, Sanctaque Sede Apostolica ad Indi-

cem Librorum, eorumdem permissionem, prohibitionem, expurgationem, & impressionem in universa Republica Christiana specialiter deputati sunt. Tales profecto sunt Cardinales præpositi Sacræ Indicis Congregationi, eaque formula se inscribunt, ubi aliqua promulgant Decreta, falsumque est, quod scribit Poza in secunda Apologia pro suo Elucidario, noluisse Apostolicam Sedem *hanc Generalem Inquisitionem*, loquitur de Inquisitione Hispanica, *pro subjectis sibi Provinciis, aliis indigere Præpositis, & Præfectis*. Temerarium autem est quod mox subjicit, nempe, *non temere factum esse a Suprema Inquisitione Hispaniarum cum decrevit, prohibitionem Sacræ Congregationis de Indice non obligare in subjectis sibi Ditionibus, & Provinciis*. An unquam Hispanica Inquisitio Apostolicæ Sedi obsequentissima id genus Decreta ediderit, me latet, nec curo eam rem investigare; illud mihi certe compertum est, teneri omnes ubique, ne excepta quidem Hispania, ad servanda laudatæ Sacræ Indicis Congregationis Decreta. Porro, ut in Actis legitur, Secretario F. Thoma Camotto, pag. 83. propositis die IV. Decembris anni MDCLXXJV. in ipsa Congregatione ex parte Episcopi Malacensis Dubiis, quorum primum erat, An Decreta Sacræ Congregationis obligent etiam in Regnis Hispaniarum? Alterum vero, An Episcopi procedere possint contra trangressores horum Decretorum? *Sacra Congregatio respondit ad 1. id non posse verti in dubium, cum Decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos. Ad 2. quod Episcopi possunt procedere contra transgressores, utendo propria auctoritate*.

XII. Exempla id genus & alia afferri possent complura, sed supervacanei esset laboris, ea velle describere in re perspicua, tum præsertim quod Decreta ipsa a Sacra Indicis Congregatione edita, ad Summum Pontificem per Secretarium delata, ab eodem approbantur, & publicari jubentur. Hinc, licet non defuerint Auctores congesti a Francisco Valente Tomo II. *Concordiæ*, Sect. IV. ajentes, Romanarum Congregationum Decreta non habere vim legis, nemo autem negavit, quin illa obligent, ubi edita sunt

ſunt conſulto, & approbante Pontifice, ut cavetur in Bulla LXXVII. Sixti Papæ V. & ubi conſtet vere ea fuiſſe edita, & ſigillo, atque ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii Congregationis munita. Ita ſane præſcripſiſſe Urbanum VIII. quoad declarationes Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, notavit Barboſa in Summa Apoſtolicarum Conſtitutionum, in eo Titulo qui inſcriptus eſt: *Congregatio pro interpretatione Concilii Tridentini*, Num. 8. Vide eruditum Gonzalez in Apparatu Commentariorum ad Decretales, Num. 57.

## CAP. XIV.

*De Secretarii Indicis cura in Libros, Typographoſque, qui a Libris, quos iterum imprimunt, multa fraudulenter adimunt.*

I. ANtiquum æque ac recens quorumdam Typographorum Venetorum hoc vitium eſt, in quod Sacra ipſa Indicis Congregatio anno MDCVI. Secretarium ejuſdem agente diligentiſſimo Fratre Paulo Pico, jam acriter meritoque invecta fuit, ubi ſcilicet hoc Decretum edidit, quod legitur in calce Indicis Librorum prohibitorum juſſu Alexandri VII. Pontificis Maximi anno MDCLXIV. Romæ editi, pag. 298. & ſequenti: *Cum Joannes Baptiſta Ciottus Senen. Joannes Antonius, & Jacobus de Franciſcis, Bibliopolæ, & Librorum Impreſſores Venetiis, ex Tomo quinto Diſput.* De Cenſuris, *P. Franciſci Suarez Jeſuitæ, hoc anno ab eis impreſſo, multa fraudulenter adimere, illumque ſic mutilate impreſſum evulgare præſumpſerint, falſi crimen incurrendo: Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinales ſuper Librorum prohibitione, permiſſione, expurgatione, & impreſſione, in univerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputati, ad prædictorum Impreſſorum, & Bibliopolarum temeritatem, & audaciam coercendam eiſdem prohibuerunt, & præſenti Edicto prohibent, ne in futurum cujuſcumque generis libros imprimere poſſint nec*

*nec prædictum Tomum quintum quovis modo vendere, seu quemvis contractum de eo inire valeant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua non nisi a Sancta Sede Apostolica, præter quam in mortis articulo absolvi possint. Inhibentes omnibus, & singulis Bibliopolis, mercatoribus, & aliis quibuscumque personis, ubicumque existentibus, ne prædictum Tomum, aut alios libros a prædictis inposterum edendos vendere, aut retinere præsumant, sed locorum* Ordinariis, *seu hæreticæ pravitatis Inquisitoribus consignare teneantur sub excommunicationis latæ sententiæ, ac quingentorum ducatorum de Camera incurrendis, & arbitrio eorumdem Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Congregationis Indicis applicandis pœnis. Præcipientes omnibus, & singulis personis cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, qui præfatum Tomum retinent, ut in eo suppleant quæ fraudulenter fuerunt adempta. Mandantes* Ordinariis *locorum, seu Inquisitoribus, ut hujusmodi Edictum faciant publicari, & post decem dies ab ejusdem publicatione, omnes adstricti, & obligati sint, ac si personaliter unicuique esset intimatum; cujus transumpta etiam impressa, & sigillo cujusvis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita, plenam fidem ubique locorum, in Judicio, & extra faciant, ac si ipsummet* Originale *esset exhibitum. Actum Romæ in Generali Congregatione Indicis, Septimo Nonas Augusti, Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDCVI.* Sequitur mox subscriptio: *Fr. Paulus Picus Ordinis Prædicatorum Sacræ Congregationis Indicis Secretarius.*

II. Si recentiores complures Venetas Librorum editiones decurramus, constabit eas cuique legenti in multis fuisse mutilatas, adeo ut nec ipsa Conciliorum Labeana editio Venetiis facta, ab ea mutilatione fuerit immunis. Laudanda profecto Gallorum Typographorum fides, qui Libros, uti illos Auctores scripserunt, typis suis committunt, & ubi aliquid in eisdem occurrerit diversum a Gallicæ Nationis doctrina, seu praxi, haudquaquam mutilant, sed

ſed Nota aliqua illud corrigunt. Ita plane factum eſt, ut alias omittam, in Editione poſthuma egregii Operis Antonii Dadini Altaſerræ, quod inſcriptum eſt, *Eccleſiaſticæ Juriſdictionis Vindiciæ adverſus Caroli Fevreti, & aliorum Tractatus de abuſu ſuſceptæ*, ubi inter alia Editor ejus Operis in Præfatione poſtquam dixit, Altaſerram Juri, vel potius Conſuetudinibus antiquis Eccleſiæ inhærentem tenaciter, nec ultra progreſſum, multa in hoc Opere aſſeruiſſe, quæ mutata ſunt in Foro, utilitate ita ſuadente, ſic ſtatim ad noſtram rem ſubdit: *Tamen ne inde aliqui ſibi fingant, hanc in Judiciis etiam Eccleſiaſticis formam eſſe ſervandam, & ne inde aliqui cauſam controvertendi quod nunc uſu contrario introductum eſt, accipiant, viſum eſt notare aliqua, quæ poſſint aliques Juris noſtri tenaces offendere, quæ ad calcem hujuſce Præfationis ſubjungere curavimus. Poterant hæc in manuſcripto obliterari, & revera pleraque delenda, & obliteranda fuiſſent; ſed viſum eſt Opus Altaſerræ integrum exhibere, ne mutilum, & mancum in aliquibus videretur, quia in pleriſque Virorum doctiſſimorum, & clariſſimorum Bibliothecis hujuſce manuſcripti exemplum invenitur, necnon in Bibliotheca Regia, &c.* Si itaque vel manuſcripti Libri edendi ſunt integri vel ob eam cauſam, quod aliquod eorum exemplum manuſcriptum alicubi invenitur, multo magis integri edendi Libri illi, quorum jam aliæ factæ ſunt editiones. Certe ſi eam Typographi fidem violent, merito eorundem Typographorum editiones contemnuntur.

## CAP. XV.

*De Facultate Secretarii Indicis in expediendis licentiis pro legendis Libris prohibitis ad tempus triennii, veteribuſque prorogandis ad aliud triennium; & de Regulis ab ipſo ea in re ſervandis.*

I. FAcultas expediendi novas licentias in triennium pro legendis, ac retinendis vetitis Libris, eas peten-

tentibus, vetere ſque prorogandi, & confirmandi ad aliud triennium, ſervatis ſcilicet Regulis Indicis, & ejuſdem Congregationis Decretis, jam in qualibet Congregatione Secretario ipſius conceditur, qui propterea ſingulis Sabbatis expedire eas ſolet ſolo in iiſdem ſuo nomine appoſito, & Cardinalis Præfecti ſigillo. Profecto ſolent & ipſæ licentiæ concedi non modo a Congregatione Indicis, verum etiam a Congregatione S. Officii, & a Magiſtro Sacri Palatii; ſed juxta hanc tamen inſtructionem, ſeu regulas, quas mihi hodiernus Sacræ Congregationis Indicis Secretarius Vir Clariſſimus F. Thomas Auguſtinus Ricchinius communicavit.

II. Itaque prima Regula eſt, ut in concedendis licentiis legendi, ac retinendi Libros prohibitos exacte ſervetur inpoſterum, prout hactenus ſervatum fuit, Decretum felicis recordationis Urbani Papæ VIII. editum die xxx, Octobris anni MDCXXXI. adeo ut licentiæ legendi, ac retinendi omnes, & quoſcumque Libros, quos in præfato Decreto concedi prohibetur, nullatenus concedantur, nempe Libros, qui contra Religionem Catholicam ex profeſſo tractant, Libros Nicolai Macchiavelli, & Caroli Molinei, necnon eos, qui de Aſtrologia Judiciaria principaliter, vel incidenter agunt, etiamſi ea, quæ in eis continentur, non certo eventura aſſerantur. Regula altera Magiſtrum Sacri Palatii ſpectat; ut nimirum poſſit is quidem uti facultate ſibi a Sede Apoſtolica attributa concedendi hujuſmodi licentias; ſed cum limitatione tamen, quæ a Sacra Congregatione Sancti Officii emanavit die XIX. Januarii anni MDCXXXIII. nimirum in Urbe tantum, & exceptis Libris, qui tum in Congregationis Sancti Officii, tum in Urbani VIII. Papæ Decretis excepti ſunt.

III. Quo vero tam a Sacris Congregationibus Sancti Officii, & Indicis, quam a Magiſtro Sacri Palatii cum debita circumſpectione & cautela, ut par eſt, in re adeo gravi procedatur, tertia regula eſt, ut licentiæ, quæ alias ab eiſdem concedi poſſunt, non concedantur, niſi prævia atteſtatione in ſcriptis exhibenda ſuper matura ætate, doctri-

ctrina, & probitate Oratorum, seu licentias petentium, necnon super veritate expositorum in precibus, quodque illis Librorum prohibitorum lectio, nullum fidei, pietatis, sanæque doctrinæ damnum, attestantis judicio, allatura sit. Attestatio autem, juxta memoratam Instructionem, quoad Religiosos fieri debet a Generali, seu Procuratore Generali suorum Ordinum respective, quoad Seculares vero, ab Episcopo, aut Vicario Generali, aut quoad utrosque, si quandoque justis de causis ita videbitur, ab alio saltem Viro fide digno. Ceterum quarta Regula cautum est illud, ut actu studentibus, sed qui nondum suorum studiorum cursum expleverint, lectio Librorum prohibitorum nunquam permittatur, nec juvenibus, præsertim eorum Librorum lectio, qui immunda, seu obscena ex professo tractant, narrant, aut docent.

IV. Regula quinta præscribit, ut Oratores, qui licentias petunt, exprimere in precibus debeant, quod lectione Librorum prohibitorum, quos petunt, indigeant, causamque indigentiæ exponant, ad dignoscendum, an ea causa censenda sufficiens sit. Pro causa vero sufficienti minime habeatur, quod nempe Oratores ea licentia indigeant ad majorem sui eruditionem; sed indigentiæ causa esse debet, vel ad effectum confutandi, vel quod munere aliquo funguntur, ratione cujus, vere opus habent licentia legendi vetitos Libros, quos petunt. Quamobrem vetat hæc Regula concedi licentiam, nisi pro Libris ad idem munus spectantibus, prævia tamen attestatione, de qua superius dictum est. Rursus cautum est ex Regula sexta, ut his, quibus pro indigentia sui muneris Libros aliquos prohibitos legere, ac retinere conceditur, haud de cætero quasi accessorie ad majorem sui eruditionem tribuatur facultas legendi Libros Grammaticos, Poeticos, Rhetoricos, Historicos, & Philosophicos. Quinimo Libri de Historia Sacra tractantes, & periculosam Philosophiam docentes, non nisi cum speciali, & magna cautela permittantur. Quemadmodum nec eos, qui agunt de Dogmatibus Fidei, legere, ac retinere fas sit, ne sub pretextu quidem eos confutandi,

nisi his, qui in Theologia, ac Sacrarum Litterarum Studiis sunt magnopere versati.

V. Hactenus Regulæ in memorata Instructione contentæ, quarum septima, & postrema illa est, ut quæ in concedendis licentiis in ipsa Instructione præscribuntur, etiam in confirmandis jam concessis serventur. Atque hic est mos, qui hodieque adamussim servatur a Secretario Congregationis Indicis, de quo nos præsertim in hoc Opere nostro præsenti agimus.

## C A P XVI.

*De Secretarii Indicis munere in publicatione Decreti vetitorum Librorum, & de impudentissimo mendacio pseudodoctoris Sorbonici, quod perspicuo testimonio Cardinalis Quirini egregie refellitur.*

I. Librorum, qui per varias Congregationes interdicti sunt, Decretum, atque Elenchum ex antiquo instituto vulgare solet ipsæ Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, ac consuetis in Urbe locis publicatum, & affixum ad Inqusitores Generales transmittere, quo illi suis in locis publicari faciant. Hinc ubi anno elapso MDCCXLIX. die XX. Septembris vetita fuit ab ipsa Sacra Indicis Congregatione Bibliotheca Jansenistica P. de Colonia, hoc affixum fuit in variis Urbis locis Decretum: *Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnatus, & prohibitus fuit ubicumque, & quocumque idiomate impressus, imprimendusve Liber, cui Titulus*: Biblioteque Jansenifte, ou Catalogue alphabetique de Livres Jansenistes, Quesnellistes, Bajenistes, ou suspectes de ces Errour &c. *A Bruxelles MDCCXLIV. & alibi, tanquam plura continens respective falsa, temeraria, Scholis, & Scriptoribus Catholicis, etiam Ecclesiastica dignitate eminentibus injuriosa, & Apostolicæ Sedis Decretis adversantia. Nemo itaque cujuscumque gradus, & conditionis præfatum Librum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Siquis interim habuerit, In-*

*Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis a præsentis Decreti notitia tradat sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Quibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papæ XIV relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & publicari jussit. In quorum fidem &c. Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die xx. Septembris MDCCXLIX. Fr. J. A. Cardinalis Guadagni.* Tum vero sequitur: *Fr. Th. Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum S. C. Secretarius.*

II. Rursus quod in hoc Decretum temere debacchatus fuisset anonymus Scriptor libelli famosi: cui Titulus. *Epistola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam*, prodiit statim hoc aliud ejusdem Sacræ Indicis Congregationis Decretum die VI. Maji hujus anni MDCCL. editum, quod in consuetis Urbis locis affixum legi, estque hujusmodi: *Sacræ Congregationis Decreto damnata, & probibita fuere Folia nonnulla sine loco impressionis edita sub hoc Titulo:* Epistola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam, *Latine, & Gallice scripta, tanquam libellus famosus, continens propositiones falsas, temerarias, scandalosas, seditiosas, atque Apostolicæ Sedi injuriosas. Ea itaque Folia ubicumque, & quocumque idiomate impressa, seu, quod absit, imprimenda, Sacra eadem Congregatio vetat, nequis cujuscumque status, & conditionis apud se retinere, vel legere audeat, sed ipsa Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim a præsentis Decreti notitia tradat sub pœnis in Indice Librorum contentis. Quibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papæ XIV. relatis, Sanctitas Sua Decretum approbavit, atque executioni mandari jussit. In quorum fidem &c. Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die vi. Maji MDCCL.* Sequitur subscriptio: *J. Cardinalis Spinellus.* Deinde vero: *Fr. Th. Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum S. C. Secretarius.* Porro Præfectus Sacræ Congregationis Indicis est Angelus Cardinalis Quirinus, sed ubi is abest, subscribere solet Cardinalis antiquior Congre-

gregationi præsens. Quamobrem impudentissime mentitur & Auctor illius libelli famosi, cui Titulus: *Sorbonici Doctoris ad Reverendissimum Ricchinium Sacræ Congregationis Indicis Secretarium gratiarum actio &c.* ubi inter alia non erubuit scribere, Epistolam ipsam Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam, damnatam fuisse, frustra reluctante Cardinali Quirino.

III. Sed agendæ gratiæ eidem Cardinali Quirino, qui in Libro, cui Titulus *Injustæ secessionis &c.* Romæ edito hoc anno MDCCL. pag. 200. Lectorem monet, *falso in quodam folio ante aliquot dies typis excuso, cui Titulus*, Sorbonici Doctoris ad Reverendissimum Ricchinium Sacræ Congregationis Indicis Secretarium gratiarum actio &c. *falso*, ait, *in eo folio tradi*, Sorbonicam Epistolam, nequidquam repugnante Eminentissimo Quirino Congregationis Indicis Præfecto, proscriptam fuisse: *Nam repugnavi tantum*, inquit citato loco Eminentissimus Scriptor, *ne Decreto de ejus proscriptione condito per Congregationem, cui ipse non interfueram, nomen meum apponerem, ac consultius esse affirmavi, si idem Decretum, senioris ex Purpuratis Patribus, qui præsentes eidem Congregationi adfuerant, subscriptione firmaretur*. Tum subdit: *Aliam præterea causam, cur repugnarem, aperui Secretario Indicis, huncque rogavi, ut etiam seniori illi Cardinali declararet, aliisque etiam, quod a se fideliter præstitum fuisse, ipse mihi postea affirmavit. Eandem palam proponere Sacræ Congregationi non dubitassem, si ad illam accedere per pedum ægritudinem mihi licuisset*. Ita religiosissimus Cardinalis Quirinus. I nunc, & pseudodoctoris Sorbonici testimoniis fidas.

## CAP. XVII.

*De munere Secretarii Indicis erga Consultores ejusdem Congregationis.*

I. SApientissime scribit S. Joannes Chrysostomus in sua Homilia de ferendis reprehensionibus, solius Dei pro-

proprium esse, nullius egere consilio. Hinc cum ceteri homines, ac ii præsertim, qui Reipublicæ præsunt, consiliis indigeant, merito Regum omnium Sapientissimus Salomon, Cap. XII. Proverbiorum, versiculo XV. ait, eum esse sapientem, qui audit consilia. Profecto hac sapientia præditi fuere Summi Romani Pontifices, qui institutis variis Cardinalium pro regimine Ecclesiæ, & multiplicium Ecclesiasticorum negotiorum expeditione, Congregationibus, expresse mandarunt, ut suos ipsæ haberent Consultores. Tria autem requiri in Consultoribus, prudentiam, probitatem, benevolentiam, notavit vel olim Aristoteles Lib. II. Rhetoricorum, Cap. I. *Neque ob aliud*, inquit, *qui consulunt auditorem fallunt, nisi quod iis aliquid horum deest. Aut enim propter imprudentiam non recte opinantur; aut recte sentientes, propter improbitatem, non dicunt, ut sentiunt; aut quamvis recte sentiant, virtuosique sint, tamen cum benevoli non sint, facile creduntur sponte non optime consulere.*

II. Alienos esse ab hoc vitio Consultores Sacrarum Romanarum Congregationum, ac nominatim Indicis, pro certo haberi potest, summo hi enim studio, ac diligentia eligi solent. Nam quotiescumque agitur de Viro aliquo in Consultorem referendo, quod plerumque contingit, quoties tribus saltem in Congregationibus Censuram suam in aliquem Librum damnandum, vel corrigendum legerit, tunc si Dominis Cardinalibus Congregationis placuerit eundem inter Consultores admittere, Reverendissimo Secretario committitur, ut nomine Congregationis rem deferat ad Sanctissimum, quo benigne annuente, novus Consultor designatur, & per Epistolium ad ipsum transmissum ab eodem Secretario de collato sibi honore certior redditur. Porro, ut notat Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ Discursu XIX. constituitur Sacra Indicis Congregatio non modo ex competenti Cardinalium numero, ac vario, prout placet Pontifici, & Secretario ex Ordine Prædicatorum, *qui in omnibus Cardinalitiis Congregationibus magnus est Minister, & Operarius*, sed etiam

*in*

*in primarium*, *& fixum Consultorem habet præfatum Apostolici Palatii Magistrum*, *cujus antiquitus in Curia singularis ista cura fuit*, prohibendi scilicet Libros perniciosos, & concedendi licentiam vetitos Libros legendi, de qua videri possunt quæ diximus nos in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*; Lib. 1. Cap. VIII.

III. Teste eodem Cardinale de Luca loco citato, habet & ipsa Sacra Congregatio Indicis *magnum quoque numerum Theologiæ*, *aliarumque litterarum Professorum*, *qui frequentius omnes*, *vel pro majori parte*, *sunt Religiosi diversarum Religionum*, *sub nomine*, *seu vocabulo Consultorum*, *quorum partes sunt diligenter revidendi*, *ac examinandi Libros*, *quorum suspicio habeatur*, *juxta distributionem*, *quæ per Secretarium eis fieri solet*, *ad effectum referendi*, *& examinandi in plena Congregatione*, *quæ statutam diem habet*, *sed pro negotiorum numero*, *vel urgentia in aliquibus anni temporibus fieri solet*, *ita in ea determinando*, *an Liber debeat*, *necne prohiberi*. Quod ait laudatus Auctor de Librorum distributione, qui revidendi, ac referendi sunt a Consultoribus in Congregatione, *per Secretarium* fieri eis solita, intelligi debet juxta electionem prius factam a Cardinalibus ejusdem Congregationis, & Secretario ipsi significatam. Secretarius siquidem semper Consultorum nomina in Congregationem defert, ut ex iis seligantur a Dominis Cardinalibus, qui Censuram ferre debent in Libros denunciatos, vel jam relatos. Ceterum in nonnullis gravioribus, implexisque causis consuevit Consultorum Cœtus cogi, atque adunari apud Reverendissimum Secretarium, vel Magistrum Sacri Palatii Apostolici, eaque adunatio *Congregatio parva* appellari solet, ut auditis eorum suffragiis, atque consiliis, res maturius digesta, ac plenius excussa, ad plenam Cardinalium Congregationem referatur, ut ipsi nempe decidant, suffragia enim Consultorum jam nunquam decisiva sunt, sed consultiva tantum.

IV. Consultores Romanarum Congregationum jam non alios eligi consuevisse, nisi Viros doctrina æque ac pietate,

tate, & prudentia præstantes, vel mihi plane constat, qui viginti sex, & supra annos commoratus sum Romæ, mirorque icciro audaciam Pozæ, qui in supplici suo Libello ad Urbanum VIII. pro causa sui prohibiti Elucidarii perperam eos sigillat, ubi pag. 17. ita scribit: *Nunc venio ad ea, quæ sunt Illustrissimorum Dominorum Cardinalium. Certum est, non posse innumeris Ecclesiarum distentos curis, ipsosmet esse Lectores, Censores, & Qualificatores Librorum probibendorum, aut expurgandorum, sed eam curam ad alios (præ corporis, & humanarum virium tenuitate) esse deferendam. Non enim aliter in causis judicialibus fieri potest. Idcirco quamvis æquissime, & sanctissime suo muneri faciant satis, ex parte aliorum, qui hoc arcanum judicium, ut delatores, vel testes, vel Fiscales, vel Secretarii, vel Censores circum obsident, plura timeri possint, ex quibus Catholici Scriptores injusta notentur infamia.*

V. Pergit Poza, ac magis magisque in ipsos Romanarum Congregationum Consultores invehitur, sic temere inquiens citata pag. 17. a tergo: *Accidere potest, ut docti videantur, nec tamen sint: in quibusdam rebus excellant, alias sibi traditas prorsus ignorent: cum aliis paciscantur, & clam conspirent, ut æquissima Tribunalia communi consensu decipiant: sint infensissimo genio, & ingenio, Auctori, ejus patriæ, cognationi, prosapiæ, Religioni, cujus est Auctor Orthodoxus: venales sint, & comparandæ benevolentiæ causa, Catholici Scriptoris, gentis, vel familiæ inimicis omnem prodant causam, & nullum non moveant lapidem, ut illius nomen ignominiæ labe aspergatur. Nihil minus agant, quam expendere controversias, tum quia egent Librorum supellectile, tum quia carent notione, quæ ad cognoscendum opus necessaria est &c.* Non contentus lacerasse Censores, sugillat mox etiam Secretarios, cæterosque Sacrarum Romanarum Congregationum Ministros, ita acrimoniam suam pag. 18. effundens: *Possunt a Secretariis, Fiscalibus, Relatoribus causarum alia metui; nam cum hæc judicia fiant sine parte, sine patrono, si ipsi, aut sint adversarii, aut elevatam, & depravatam*

*nar-*

*narrationem referant, aut adjiciant, & nonnulla proprio Marte scribant, aut omittant referre, quæ Scriptorem Catholicum excusare poterant, aut alias tenebras effundant, nulla est via, qua tantæ injuriæ possit occurri.*

VI. Porro totus Pozæ Liber refertus est acrimonia, non modo in ipsarum Congregationum Secretarios, ac Ministros, verum etiam ipsos earundem Congregationum Cardinales, ac Judices audacter, temereque perstringit. Non puto compotem sui illum fuisse, cum supplices Libellos ad Summum Pontificem in Librorum suorum defensionem scripsit, qui iccirco merito interdicti fuere. Sed omissis Pozæ dicteriis, seliguntur semper a Cardinalibus Sacræ Congregationis Indicis Consultores, & quidem post probatam diu eorum fidem, ac doctrinam cum prudentia conjunctam. Nemini posse eorum vota, Censuras, & Consultationes communicari, cautum est quidem ex Decreto ejusdem Congregationis, & vivæ vocis Oraculo facto ab Innocentio Papa XI. Reverendissimo Patri F. Jacobo Ricci Secretario, de quo dicemus nos infra Lib. II. suo loco, ut vitarentur scilicet discordiæ, apologiæ, & scripta adversus ipsas Consultorum Censuras. Sane constat ex Actis Reverendissimi Patris F. Hyacinthi Libelli pag. 214. in generali Sacra Congregatione Indicis, habita anno MDCLXIII. die XXVII. Februarii, decrevisse Cardinales, *ut inposterum ii, qui Consultores fiunt, præstent juramentum de bene se gerendo, & fideliter referendo Libros, omni humano respectu postposito &c.* itemque jussisse, *Secretarium formulam componere, sub qua jurent, cum prima vice Congregationem ingrediuntur.*

VII. Notandum hic demum est illud, quod tradit idem Cardinalis de Luca citato loco, commendabilem scilicet esse Sacræ Congregationis Indicis stylum, *omnia gratis peragendi, rigorose prohibita Consultoribus, ac Revisoribus cujuscumque mercedis recognitione, etiam sub prætextu magni laboris, vel expensarum, quas facere oporteret, pro eadem revisione. Omnes etenim Sacrarum Congregationum Operarii, præsertim istius, ac alterius supra enun-*

*enunciatæ Sancti Officii, necnon Rituum, mere gratuiti sunt, laborum mercedem a Sede Apostolica, cum Episcopatibus, vel Religiosis muneribus, pro eorum qualitate, ac temporum opportunitate, recipientes.* Laudandus itaque summopere zelus Regnantis Summi Pontificis BENEDICTI XIV. qui in Reformatione expensarum pro Sanctorum Canonizationibus morem illum recens introductum sustulit, donandi scilicet Consultoribus Sacræ Congregationis Rituum certam cocolatæ quantitatem. Quod Consultores Congregationis Indicis spectat, habent & hi sua privilegia, quorum unum est, donatum ipsis a Summis Pontificibus, Alexandro VII. & Clemente X. ut nimirum Regulares inservientes dictæ Congregationi Indicis in Officio Consultorum, non possint a Superioribus suis ab Urbe, atque Conventibus removeri, *nisi causis ab eadem Cardinalium Congregatione, illiusque Secretario pro tempore existente examinatis.*

VIII. Confirmavit quidem & hoc privilegium sanctæ memoriæ Benedictus XIII. qui tamen ne privilegium ipsum Consultoribus concessum, Conventibus, & Domibus Regularibus onerosum esset, eisque ab illa obedientia, quam professi sunt, se se subtrahendi stimuli adderentur, statuit, *ut inposterum unus dumtaxat ex Ordinibus Regularibus Congregationis prædictæ Consultor esse, ac ejusmodi privilegio frui possit &c.* Sed lubet integras laudati Pontificis Litteras describere die XXI. Augusti datas anno MDCCXXVII. quæ sunt hujusmodi.

BENEDICTUS
PAPA XIII.
*Ad futuram rei memoriam.*

ALias fel. rec. Clementi PP. X. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Consultorum Congregationis etiam tunc existentium S. R. E. Cardinalium Indicis Librorum prohibitorum, & expurgandorum præpositæ exposito, quod rec. mem. Alexander PP. VII. pariter Prædecessor noster, anno MDCLIX. decreverat, & declaraverat, non licere Superioribus Regularibus removere ab Urbe, ac a

ſuis Conventibus ſuos Subditos Regulares inſervientes dictæ Congregationi in Officio Indicis Conſultorum, quia talis remotio cedebat in præjudicium ipſius Congregationis, quæ alios Conſultores inexpertos, veteranis, & expertis ſubſtituere conſtringebatur, hocque Decretum Superioribus eorumdem Regularium a tunc itidem exiſtente Congregationis prædictæ Secretario intimatum fuerat, dicti vero exponentes, quo quietius, majorique ſtudio huic Sanctæ Sedi obſequium præſtare valerent opportune ſibi in præmiſſis a dicto Clemente Prædeceſſore provideri plurimum deſiderabant; idem Clemens Prædeceſſor juſtis eorumdem exponentium petitionibus favorabiliter annuere volens, ſupplicationibus etiam memoratorum Cardinalium nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ac ſupra expreſſum Alexandri Prædeceſſoris Decretnm approbans, & confirmans, omnibus, & ſingulis tam nunc præſentibus, quam futuris Superioribus Generalibus, & Provincialibus, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, Auctoritate Apoſtolica præcepit, & mandavit, ut tunc, & pro tempore exiſtentibus Conſultoribus Regularibus Congregationis prædictæ, ſuis reſpective Subditis Conventualitatem in Collegiis, ſeu Domibus Regularibus in Urbe prædicta exiſtentibus, in quibus literarum ſtudia vigerent, quo commodius ejuſmodi ſtudiis, dictæque Sedis obſequiis incumbere valerent, ſi adeſſent, ſin minus in aliis Monaſteriis, Conventibus, ſeu Domibus Regularibus ſuorum reſpective Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum in eadem Urbe poſitis, abſque ulla mora, vel tergiverſatione concederent, & aſſignarent; ipſos autem Conſultores inde, niſi cauſis ab eadem Cardinalium Congregatione, illiuſque Secretario pro tempore exiſtente bene examinatis, amoveri nullo modo poſſe, auctoritate prædicta ſtatuit, & ordinavit, & alias prout in prædicti Clementis Prædeceſſoris literis die v. Decembris MDCLXXIII. deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur. Hinc eſt, quod Nos præmiſſorum robori, & inviolabili obſervationi oppor-

opportune providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, enarratas Clementis Prædeceſſoris litteras auctoritate prædicta, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus etiam opus ſit, innovamus. Præterea, ne privilegium hujuſmodi Conſultoribus dictæ Congregationis per ſupradictas litteras conceſſum, Conventibus, & Domibus Regularibus oneroſum ſit, eiſque ab illa obedientia, quam profeſſi ſunt, ſeſe ſubtrahendi ſtimuli addantur, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus præcipimus, & mandamus, ut inpoſterum unus dumtaxat ex Ordinibus Regularibus Congregatonis prædictæ Conſultor eſſe, ac ejuſmodi privilegio frui poſſit, illoque vivente, alii, qui ad Conſultoris munus hujuſmodi aſſumpti fuiſſent, eodem privilegio potiri nequeant, ſed in eadem Urbe de Superiorum ſuorum licentia permanere volentes, Conventibus, ubi ab iiſdem Superioribus collocabuntur, alimenta ad rationem duorum juliorum ſingulis diebus perſolvere teneantur, & inde a ſuis Superioribus toties, quoties ipſis bene viſum fuerit, etiam extra eandem Urbem mitti poſſint, nec iſti privilegium prædictum etiam a Nobis, & Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris abſque ſpeciali derogatione, & præſentium noſtrarum literarum mentione impetrare queant. Declarantes ulterius, quod ejuſmodi privilegium Conſultoribus prædictæ Congregationis dumtaxat conceſſum ſit, & quod tam memorati Conſultores privilegio hujuſmodi gaudentes, quam pariter alii illo minime fruentes ſocium ſibi addictum habere, nec poſtulare valeant, ſed illum volentes, & a ſuis Superioribus permiſſum, alimenta pro eodem ſocio, ſicut præmittitur, præſtare debeant. Decernentes, eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac prædictis Conſultoribus Regularibus in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; ſicque, & non aliter

I 2 in

in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Provinciarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Domorum Regularium, aliisve quibusvis etiam juramento, confimatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & Domibus Règularibus, illorumque Superioribus Generalibus, & Provincialibus, aliisque Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac pluries confimatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio; seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium

ſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, vel Secretarii ſupradictæ Cardinalium Congregationis munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxj. Auguſti MDCCXXVII. Pontificatus noſtri anno quarto.

*F. Card. Oliverius.*

IX. Dictis hactenus adjungendum cenſeo quod legitur de ipſis Conſultoribus adnotatum in Actis Sacræ Congregationis Indicis, Secretario P. Hyacintho Libello; & primum quidem, Conſultores abeſſe, vel dimitti ab Urbe, inconſulta Sacra Congregatione, non poſſe. Secundo, juſſiſſe Alexandrum Papam VII. ne, inaudita Congregatione, amoveantur ab Urbe iidem Conſultores, & Congregatio nihil ſtatuere poſſit, niſi habito verbo cum Sanctiſſimo; quod Decretum confirmatum deinde etiam fuit per Litteras in forma Brevis a Clemente X. anno MDCLXXIII. de quo facta eſt mentio in ſuperius recitatis Litteris Benedicti XIII.

## C A P. XVII.

*De habitatione, ac Sociis, & emolumentis Secretarii Congregationis Indicis.*

I. SEcretarium Indicis diu, & quidem a prima inſtitutione ſuam habuiſſe habitationem una cum Sociis illius ſervitio addictis in Palatio Apoſtolico, conſtat ex ſupplici libello, & informatione exhibitis die IV. Decembris anni MDCXLIV. Cardinalibus Congregationis Indicis ab ejuſdem Secretario illius temporis, qui erat Joannes Baptiſta de Marinis, poſtea Generalis Ordinis ſui Prædicatorum Magiſter electus anno MDCL. quique, ut in ipſo Libello inquit, jam decem, & novem annis munere illo perfunctus fuerat. Habitarunt deinde Secretarii Indicis in Collegio S. Atha-

S. Athanasii, quod est in Regione Campi Martii in via Paulina in loco, qui vulgo dicitur *Babuino* a deformis quadam figura Satyri fonti imposita, quodque Gregorius PP. XIII. ad Græcos juvenes erudiendos instituit anno MDLXXVII. Idibus Januarii, ut ex ejus Constitutione, quæ incipit, *In Apostolicæ Sedis &c.* docet Victorellus in ejusdem Pontificis Vita apud Ciaconium. Regimen hujus Collegii pertinuisse aliquando ad Dominicanos, innuit Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis sui Prædicatorum ad annum MDCXXXII. pag. 473. ubi agens de Fr. Francisco Magdaleno Capiferreo, sic ait: *Collegii Græcorum jam Rector erat, Græcæque juventuti instituendæ, ac moderandæ incumbebat cum anno MDCXV. a Paulo V. Secretarius Congregationis Indicis adlectus est.* Concessum tandem regimen ejusdem Collegii fuit inclytæ Societati Jesu ab Urbano VIII. & quidem ante Pontificatum, dum scilicet Protector esset ipsius Collegii, ut inter alios tradit Felinus in Libro cui Titulus, *Delle cose maravigliose dell' alma Città di Roma*, editionis anni MDCXXV. pag. 66.

II. Sane puto, post datum Patribus Societatis Jesu regimen Collegii S. Athanasii, sedem suam suam fixisse Secretarios Sacræ Congregationis Indicis in Cœnobio S. Mariæ super Minervam, atque hinc est quod, ut in Actis ejusdem Congregationis legitur ab Alexandro Papa VII. electus in Magistrum Sacri Palatii F. Hyacinthus Libellus, qui Secretarius Indicis erat, *die xxij Septembris anni* MDCLXIV. *discessit e Conventu Minervæ Palatium Apostolicum dein habitaturus, Patrique Secretario*, Fratri nempe Vincentio Fano, qui in Secretarii munere Libello suffectus fuit, *Claves Camerarum, quas habitaverat, consignavit*. Porro testatur idem Libellus, Alexandrum Papam VII. mandasse quidem, ut Cameras, in quibus ipse habitaverat, dum Secretarius Congregationis Indicis erat, in Conventu Minervitano, *sudradicto P. Magistro Fano per Patrem Generalem, Provincialem, aut Priorem assignari*, ut in fine Actorum Libelli habetur, pag. 257.

III. Extat penes & ipsum Secretarium in Conventu Mi-

Minervitano, ejus curæ commiſſum Archivum Congregationis, habetque idem Secretarius ſub ſe Socium Sacerdotem, qui diſpenſandis licentiis Librorum vetitorum præeſt, itemque Laicum ejuſdem Ordinis ſpecialiter ejus miniſterio addictum, ac nulli alii ſubjectum. Ceterum licet tum Secretarius, tum Socii exemti ſint a variis religioſis oneribus, vivunt tamen ſub regulari diſciplina, feſtiſque præſertim diebus Choro interſunt, ut alias pleraſque religioſas obſervantias ſileam, quarum tenaces omnes, quos novi, Secretarii Congregationis Indicis extiterunt, potiſſimum vero qui hodie eo munere fungitur Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius, quem quidem ob ejus doctrinam cum probitate, & prudentia conjunctam ſemper magni fecit Regnans Pontifex BENEDICTUS XIV.

IV. Ad emolumenta quod attinet Secretarii Indicis, ejuſque Sociorum, teſte eodem memorati ſupplicis Libelli Auctore, Clemens Papa VIII. Pontificio Diplomate dato die XIII. Junii MDXCIV. *conſideratis*, ut ait, *multis expenſis neceſſario faciendis per Secretarium dictæ Congregationis, motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtates plenitudine*, aſſignavit Fratri Paulo Pico a Burgo S. Sepulchri tunc Sacræ Congregationis Secretario, ejuſque in eo Officio ſucceſſoribus in perpetuum, præter ſolitas ædes in Palatio Apoſtolico, quæ, uti dictum eſt, a prima inſtitutione prædictæ Congregationis uſui illius Secretario fuere, partem, ut vocant, pro ipſo ac Socio ejuſdem Ordinis, & uno Scriptore, itemque decem ſcuta in menſes ſingulos ſolvenda eidem initio cujuſcumque menſis a Camera Apoſtolica, quæ alias a Dataria ſolvi ſolita fuerant, ac præterea annuam ducentorum ſcutorum Cameræ penſionem.

V. Extant de hiſce emolumentis Secretario Congregationis Indicis aſſignatis certa in Regeſtis ejuſdem Congregationis monumenta, in quibus inter alia ad annum MDXCIV. ad diem XVIII. Junii legitur, Cardinalem Marcum Antonium Columnam Congregationis Præfectum retuliſſe in Congregatione, *Clementem VIII. ex benigna largitate decre-*

*decrevisse restituendam solitam provisionem, & portionem perpetuo duraturam Secretario Sacræ Congregationis Indicis, & Successoribus*: Rursus ad diem xxvii. Julii Decretum refertur, *quod executioni mandetur realiter provisio menstrua decem scutorum a Sanctissimo assignata Secretario ad instantiam Congregationis, & Illustrissimus Cardinalis Columna a Sanctissimo portionem Palatii Apostolici pro eodem Secretario, & ejusdem Substituto, & Scriptore assignari curet*. Præterea ut ad diem xxviii. Julii legitur, *Vivæ vocis Oraculum ab Illustrissimo Cardinali Columna traditum fuit Secretario Sacræ Congregationis de annua provisione centum viginti scutorum a Sanctissimo* Domino *nostro eidem assignata*.

VI. Sequitur mox laudati Cardinalis Columnæ de ea re attestatio, quæ est hujusmodi: *Nos Marcus Antonius Episcopus Prænestinus Cardinalis Columna Sacræ Congregationis Indicis Præfectus, universis, & singulis præsentes litteras inspecturis, & audituris salutem in Domino sempiternam, ac eisdem præsentibus fidem adhibere indubiam; notum facimus, ac in verbo veritatis attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, &* D. N. *Clemens divina providentia Papa Octavus vivæ vocis oraculó nobis facto die xiij. Junii* mdxciv. *motu proprio, & ex certa scientia, consideratis multis expensis necessario faciendis per Secretarium Sacræ Congregationis Indicis, annuam provisionem, quæ per Datariam olim solvebatur, benigna largitate restituit, concedens, & assignans in perpetuum, & Apostolicæ Sedis authoritate, scuta decem ex nunc in principio cujuslibet mensis moderno Secretario Fratri Paulo Picchio Magistro a Burgo S. Sepulchri Ordinis Prædicatorum, & Secretario pro tempore existenti solvenda a Reverenda Camera Apostolica. In quorum omnium, & singulorum fidem, ac testimonium ex Decreto Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Sacræ Congregationis Indicis, præsentes Litteras fieri fecimus, illasque manu propria subscripsimus, sigillique nostri impressione communiri mandavimus. Datum in Palatio nostræ*

*stræ solitæ residentiæ die xxiij. Julii MDXCIV. Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Clementis Octavi anno tertio. Ita est Marcus Antonius Episcopus Prænestinus Cardinalis Columna.*

VII. Sed nec omittendum, quod legitur ad diem VIII. Octobris, decretum nempe ex omnium sententia fuisse, quod Cardinalis Toletus, qui unus erat e Cardinalibus memoratæ Congregationis Indicis, *annuam pensionem ducatorum ducentorum quantocius assignari procuret a Sanctissimo, Secretario Sacræ Congregationis, prout multoties ad instantiam Congregationis benigne Sanctitas sua promisit*. Die tandem XXII. Octobris, ut ibidem legitur, *Illustrissimus Cardinalis Toletus retulit, quomodo nomine Congregationis a Sanctissimo petierat, & benigne impetraverat pensionem ducatorum ducentorum quamprimum ex speciali ordine Sanctitatis suæ a Datario consignandam Secretario Congregationis*. Porro in memoratis monumentis Cardinales non alio titulo, nisi Illustrissimi, & Reverendissimi donantur, quia scilicet titulum Eminentissimi Urbanus Papa VIII. Cardinalibus primus concessit, uti jam alibi diximus.

## CAP. XVIII.

*De absentia Secretarii Congregationis Indicis, & vicibus ejus suppleri solitis, jussu tamen Summi Pontificis, ab aliquo Religioso ejusdem Ordinis, præsertim vero a Magistro Sacri Palatii, ac de oratione initio Congregationis recitanda.*

I. PLura jam hanc in rem afferri possent exempla, quæ in Actis Sacræ Congregationis Indicis occurrunt; unumque illud commemorabo, quod in ejusdem Actis a Patre Fr. Hyacintho Libello descriptis legitur, pag. 204. *Die XXV. Novembris* MDCLXI. *discessit ex Urbe P. Secretarius Sacræ Congregationis Indicis, & coactus est extra eam permanere undecim menses circiter, componendæ rei*



fa-

*familiaris causa. Rediit xxv. Octobris præsentis anni MDCLXII. Tempore absentiæ Reverendissimus Pater Sacri Palatii Apostolici Magister de mandato Sanctissimi Domini nostri egit Prosecretarium, duasque Congregationes coegit, quibus jussus est duo Decreta prohibitionis Librorum evulgare, quorum primum edidit octava Martii MDCLXII. secundum xx. Julii ejusdem anni, nihilque aliud actum est. Libri autem prohibiti in illis Decretis leguntur.* Omitto alia exempla, quibus docemur, absente Secretario Indicis, substitutos eidem fuisse a Summo Pontifice in ejus locum tempore absentiæ alios, sed semper tamen Religiosos Ordinis Prædicatorum, cui a prima institutione, ut compluries dictum est, constabitque luculentius Lib. II. hujus Operis, ubi chronologicam Secretariorum singulorum seriem describemus, Secretarii Indicis munus affixum fuit.

II. Porro ut finem huic Capiti faciam, licet initio Congregationis Indicis recitare Orationem ad Magistrum Sacri Palatii spectet, uti notavimus in nostro Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. I. Cap. VII. sciendum tamen, ubi ipse Magister abesset, eam recitationem fieri solitam esse a Secretario, uti Acta ejusdem Congregationis passim nos docent. Atque hic obiter nota utriusque officii connexionem, dum unus vices alterius supplet, & tum potissimum quod Summi Pontifices, vacante Sacri Palatii Magistro, sive per obitum, sive per promotionem ad altiorem dignitatem, in defuncti, vel promoti locum Secretarium Indicis substituere consueverunt.

## C A P. XIX.

*Pontificium Diploma refertur, quo Secretarius Indicis institui solet.*

I. DUo sunt Diplomata, quibus novi Secretarii Indicis donari a Summis Pontificibus solent, cum primum ad eam dignitatem evecti sunt. Alterum, de quo in præ-

præsenti agimus, eorum institutionem spectat, alterum vero, quod in Capite sequenti referemus, præcedentiam illorum inter sui Ordinis Fratres. Utriusque meminit Frater Vincentius Fanus, qui Secretarius Sacræ Congregationis Indicis institutus fuit anno MDCLXIV. die IV. Septembris ab Alexandro Papa VII. ut idem Fanus testatur Tomo VI. Actorum ejusdem Sacræ Congregationis pag. 260. ubi ita scribit: *Die xvii. ejusdem mensis*, nempe Septembris prædicti anni MDCLXIV. *obtinuit Pater Secretarius solitum Breve pro Indicis Secretaria*, *& alterum*, *in quo Sanctitas sua concedit locum Patri Secretario immediate post Ordinis Generalem Procuratorem*, *tam in Choro*, *quam refectorio*, *& reliquis locis*, *& functionibus*, *sicut concessum fuerat suis prædecessoribus*, *Reverendissimo Secretario Capisucco*, *& Libello*. Nequid autem hoc loco omittamus, quod Secretarium Indicis spectat, censui Pontificium Benedicti XIII. Pontificis describere, quo die XXVIII. Junii anno MDCCXXIV. institutus fuit Indicis Secretarius præstantissimus Pater Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfius, estque hujusmodi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cupientes, ut officium Secretariatus Congregationis nostræ Indicis per idoneam Personam, & rerum, quæ ad hujusmodi officium pertinent, peritam, fideliter, ac diligenter, recteque exerceatur, ac sperantes, quod tu officium prædictum certo, quem pro expresso haberi volumus modo vacans, omniaque, & singula, quæ ad hujusmodi officii exercitium spectant, digne, & juste exequeris. Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum: Harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Te quoad vixeris in dictæ Congregationis Secreta-

tarium, & Familiarem noſtrum cum omnibus, & ſingulis privilegiis, honoribus, oneribus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibns, prærogativis, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alii, qui pro tempore fuerunt ejuſdem Congregationis Secretarii, ſeu officium ipſum quomodolibet obtinuerunt, de jure, uſu, privilegio, conſuetudine, aut alias quomodolibet uti, potiri, & gaudere potuerunt, debuerunt, & conſueverunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, quatenus te ad Secretariatus hujuſmodi officium admittant, ac in illo manuteneant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. Junii MDCCXXIV. Pontificatus Noſtri anno primo.

Porro prædictæ Litteræ foris ſic inſcribuntur: *Dilecto Filio Aloyſio Nicolao Ridolfio Ordinis FF. Prædicatorum Congregationis noſtræ Indicis Secretario, ac Familiari noſtro*; earumque prorſus tenore cæteri Secretarii inſtituuntur. Ex quiqus obſervare licet, eoſdem inter Familiares Summi Pontificis ab ipſa ſui inſtitutione accenſeri.

## C A P. XX.

*Diploma alterum Pontificium, quo Indicis Secretarius intra Ordinem ſuum Prædicatorum locum poſt Procuratorem Generalem habere dicitur.*

I. ESſe antiquum morem, ut novo Secretario Indicis præter Pontificium Diploma, quo in eo munere conſtituitur, aliud ei a Summo Pontifice præbeatur, in quo locus eidem conceditur immediate poſt Ordinis ſui Procuratorem Generalem, jam ſupra notavimus in Capite præcedenti, conſtatque ex repetitis Litteris ipſorum Pontificum in forma Brevis, quarum exemplar hic illud ſubjicimus, quod Benedictus XIII. eidem Ridolfio dedit.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem Re-

Religionis zelus, sacrarum Litterarum scientia, aliaque probitatis,& virtutum merita,quibus te præditum esse etiam familiari experientia cognovimus, nos inducunt, ut te amplioris honoris prærogativa libenter decoremus. Itaque specialem tibi gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum: Harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & mera liberalitate nostris tibi, ut durante munere Secretarii Congregationis nostræ Indicis, quo fungeris; tu tam in Choro, & Ecclesia, quam in Refectorio, Capitulis, & quibusvis aliis congressibus publicis, & privatis proximum immediate post Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus Professor existis, locum, & sessionem in eodem ordine ubique habere,cætoresque omnes Fratres ejusdem Ordinis cujuscumque dignitatis, & qualitatis existant post eumdem Procuratorem Generalem præcedere possis, & debeas,Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac ita volumus, & mandamus. Præcipientes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ dilecto Filio Magistro Generali, & aliis Superioribus ejusdem Ordinis; ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut locum, & sessionem hujusmodi tibi juxta earumdem præsentium tenorem assignent, teque in illius pacifici possessione manuteneant, & hujus nostræ gratiæ commodo absque ulla contradictione frui,& gaudere faciant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibns Apostolicis, ac dicti Ordinis Fratrum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Magistro Generali, aliisque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus,

tibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII. Junii MDCCXXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

*F. Cardinalis Oliverius.*

II. Licet autem ex recitatis Litteris Secretarius Sacræ Congregationis Indicis intra Ordinem suum locum habeat immediate post Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis; si tamen contingat, Secretarium ipsum adscriptum esse Consultoribus alicujus Congregationis, vel Examinatoribus Episcoporum, locum tunc immmediate haberet post Generales actuales Ordinum Regularium, ex Decreto Clementis Papæ XII. sub die I mensis Februarii anni MDCCXXXI. dum inter Examinatores Episcoporum memoratum Ridolfium retulit, uti legimus Tomo II. Actorum pag. *696*.

## C A P. XXI.

### *De Secretarii Sacræ Congregationis Indicis Funere.*

I. JAm non ut cæteri Fratres sepulturæ mandatur Secretarius Indicis, solemniores ei consueverunt celebrari exequiæ, posito illius cadavere in alto lecto culcitra aurea tecto, pendentibus gentilitiis stemmatibus, & imaginibus mortis, accensisque circa feretrum multis torticiis, ut fieri assolet Aulæ Romanæ Præsulibus. Recitari etiam in ejusdem Secretarii Funere post celebratam solemnem Missam solita fuit Oratio in ejus laudem, uti constat ex variis id genus Orationibus typis editis, quarum nonnullas memorabimus nos infra, Lib. II. in serie singulorum Fratrum, qui a Secretis prædictæ Congregationis Indicis fuere. Secretarii obitum solet Generalis Magister universo Ordini suo Prædicatorum nunciare, sicut aliorum Virorum illustrium ejusdem Ordinis, qualis inter alios semper

per

per habitus fuit ipſe Secretarius Indicis. Poni quoque eidem conſuevit marmorea inſcriptio in Eccleſia, ubi ſepultum fuit illius cadaver. Sed de his videri poſſunt quæ dicemus citato Libro II. in ſingulorum Secretariorum ſerie.

## CAP. XXII.

*Secretarii Sacræ Congregationis Indicis munus, ſicut & alia duo, nempe Magiſtri Sacri Palatii, & Commiſſarii Sancti Officii, a Romanis Pontificibus Maximis prudenti providentia fuiſſe inclyto Ordini Prædicatorum affixa, oſtenditur.*

I. NOſtri inſtituti ratio poſtulat, ut tandem peculiari Capite invidiam ac livorem quorundam perſtringamus, qui Ordini Prædicatorum quammaxime infenſi, mendaciis & calumniis moliuntur, ut nempe ab Aula Romana omnino exulent Dominicani, & amoveantur ab officiis, quæ per quingentos & ſupra annos, quaſi hæreditaria ſucceſſione, ſervarunt. Hoc ſane votum, & conſilium eſt pſeudodoctoris Sorbonici in ſua epiſtola ad Amicum Belgam, ubi dolens, proſcriptam nuper a Sacra Indicis Congregatione Bibliothecam Janſeniſticam, in ejuſdem Congregationis Secretarium Reverendiſſimum Patrem Ricchinium invectus, ſic inter alia ſcripſit: *Nonne tibi videtur optime conſultum eſſe Catholicæ Eccleſiæ in Libris corrigendis, ac proſcribendis, Ricchinio Domino, ac moderatore! Atqui præterea eſt, cur graviora metuamus, niſi tandem aliquando miſſis Fratribus, hujuſmodi Curiæ Romanæ Munera ad graves, & doctos Prælatos devolvantur.* Vetus hoc votum, & conſilium fuit, authore Petro a Valle Clauſa, quem egregie in ſuo Apologetico eruditiſſimus Vincentius Baronius confutavit.

II. Magiſterium Sacri Palatii ab Honorio III. Pontifice primum Sanctiſſimo Patriarchæ Dominico traditum, ab eoque per manus Filiorum non interrupta ſerie perveniſſe tandem ad Reverendiſſimum, atque doctiſſimum Patrem

trem Fr. Josephum Augustinum Orsi, luculentissime ostendimus in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. I. & II. Commissarii quoque Sancti Officii munus antiquum esse, atque hæreditarium esse Ordinis Fratrum Prædicatorum, peculiari Libro quantocius demonstrabimus, quem, *De Commissario Sanctæ Inquisitionis*, inscribemus. Nunc ut de munere Secretarii Congregationis Indicis dicamus, quod una cum aliis larvatus Doctor Sorbonicus ereptum Dominicanis vellet, licet illud recentius sit Magisterio Sacri Palatii, si tamen originem spectes, & merita eorum, quibus munus ipsum concreditum fuit, non minus jure quam Sacri Palatii Magisterium Dominicanis asseres. Jam superius non uno in loco scripsimus ejus institutionem factam fuisse auctoritate Œcumenici Tridentini Concilii, ejusque jussu præstantissimum Virum Dominicani Instituti alumnum, Franciscum Forerium Lusitanum leges condidisse a Concilio sancitas, atque a Summis Pontificibus confirmatas. Cæterum cum major esset Forerius Secretarii Congregationis titulo, qui primum illi collatus est, & ejus conditor, ac legifer appellari posset, visum est, ait laudatus Baronius, Summis ipsis Pontificibus Maximis, ut Ordini Dominicano, qui Forerium dederat, perpetuus hic titulus assereretur; atque illud Concilii, ac summorum Pontificium judicium, quasi lex hactenus valuit, nec etiam Ecclesiam pœnituit.

III. Varias causas cur amovendi Dominicani a memoratis muneribus, ac præsertim a Secretarii Congregationis Indicis Officio, jam olim Petrus a Valle Clausa obtendit; ut consulatur scilicet Dominicanorum saluti, quæ periclitatur in Aula inter tot delicias & opes, quæ votum castitatis, & paupertatis lacessunt; inter tot pompas, & applausus, quibus humilitas dejicitur; in illa ad arbitrium vivendi licentia, obedientiæ jugo assuetis perniciosa; neque hac abrogatione officiorum, tantum pericula arcentur, quæ impendunt capiti illorum, qui a Claustro ad Aulam transeunt, sed a toto Ordine plura mala amoventur, aut bona illi accedunt; extinguuntur siquidem in primis odia illo-

illorum, qui Ordinem ipsum execrantur, quod putent se læsos a suis, etiam dum officiorum partes fidelissime implent. Hæc & alia ille, qui tamen cum se rabie actum, furiisque agitatum in Dominicanos, jam non semel iterum iterumque in suis Libris probaverit, jam neminem adeo vesanum inveniet, qui ejus consilia vel non rideat, vel non abhorreat.

IV. Sed ut magis magisque videas, quanta sit Petri a Valle Clausa, inscitia, atque stultitia, toto suo Libello, quem, Dominicanos exagitans, scripsit de immunitate Cyriacorum, Pontificem, Cardinalesque primum traducit tanquam cæcos, stolidos, atque ignaros, qui sinant, se ab uno fraterculo decipi, & circumagi ad illius nutum, tum vero audet, nec erubescit eisdem consilium dare, ut amoveant Magistrum Sacri Palatii, Commissarium Sancti Officii, & Secretarium Sacræ Congregationis Indicis, eosque faciant ad suas cellas redire, ut exercitiis spiritualibus vacent, & sub disciplina, & paupertate religiosa vivant. Totum hoc consilium, & tantæ molis opus a privatæ vindictæ studio natum, quod Petrus ægerrime tulerit suos, *De Martyrio per pestem*, &, *De Communione pro mortuis*, Libros censura a Sacra Indicis Congregatione proscriptos, animadvertit jam Vincentius Baronius in suo Apologetico, Lib. v. Sectione ultima, Articulo II. §. 1. ubi etiam & illud notavit, Petrum ipsum, ut hanc injuriam ulcisceretur, non solum abdicandum esse Secretarium Indicis, qui Decreto proscriptionis subscripsit, sed ipsam etiam Congregationem prorsus evertendam, Rotamque substituendam, cui esset curæ judicium ferre de Libris, optavit. At quis non miretur hominis audaciam, qui velit omnia ad suum arbitrium constitui? Vult sibi licere effutire quæcumque in buccam venerint contra censuras, & contra Judices, idest nullum vult finem esse jurgiorum, & tumultuum, & ideo Rotam petit, quæ continuo volvatur, & nunquam conquiescat.

V. Longe nostro hoc ævo fuit profecto insolentior larvatus Doctor Sorbonicus in citata epistola ad Amicum

L Bel-

Belgam, ubi iniquissime ferens proscriptam Bibliothecam Jansenianam Patris de Colonia, cupiensque & ipse, abdicandum Secretarium Indicis, Reverendissimum scilicet Patrem Ricchinium, quem ejus proscriptionis Auctorem dicit, imprudenter, stulte, impieque Romanum Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. carpit. Hæc ejus verba: *P. Ricchinius, qui P. Ursio suffectus est nuper a Secretis Romanæ Indicis Congregationis sub ipsa gerendæ dignitatis suæ initia inclarescere, suorumque Fratrum nomini inustam notam ulcisci voluit. Quid igitur? Pontificis Maximi in Cardinalem Norisium studio usus est in rem suam quamcallidissime. Pontifici, ut illustre aliquod ederet erga Cardinalem illum doctissimos inter ætatis suæ Viros sine ulla dubitatione censendum, voluntatis suæ argumentum persuaderi nullo negotio potuit. Nam, quod nemo nostrum ignorat, elaboravit ipse maximopere, etsi frustra cessit conatus omnis, ut quo Theologica ejus Cardinalis Opera inter noxios vetitosque Librorum retulerant solemne Decretum Hispani Quæsitores Fidei, abrogarent, atque delerent. Ricchinii igitur artibus effectum est, ut Pontifici suaderetur, damnata Patris de Colonia Bibliotheca, Decretum illud Hispanum injustitiæ convictum iri. Insidiis his irretitus est Pontifex; extorta est Bibliothecæ proscriptio.*

VI. Hactenus Sorbonicus Doctor, cujus quidem quot verba, tot in Secretarium Sacræ Indicis Congregationis, & quod horrendum est, in ipsum Romanum Pontificem Maximum sunt maledicta. Sed agendæ gratiæ Romano Philalethi, qui in epistola sua, quam de justa Bibliothecæ Jansenianæ proscriptione ad Theologum Lovaniensem scripsit, egregie Pontificem non modo, sed & Ricchinium ab injuriis, & calumniis larvati Sorbonici vindicavit. Circumventus Pontifex dicitur. *Atqui Pontifex? Doctissimus ille quidem*, ut observat laudatus Philalethes, *ac solertissimus ingenti acie omnia pervadens, ac circumspiciens, & quo, ut ipsi fatentur hæretici, non ullus multis ab hinc annis omni genere doctrinarum ornatior Sedem Apostolicam occu-*

*occupavit. Ab hoc Pontifice Ricchinii artibus, ait epistolæ Auctor*, nempe pseudodoctor Sorbonicus, *circumvento, atque insidiis irretito extorta est Bibliothecæ Jansenisticæ proscriptio. Possum ego putare Virum esse Catholicum, qui Romanum Pontificem, sive ille sit, sive non sit doctus, cum Fidei, & Reipublicæ Christianæ negotia tractat, administri fraudibus dicere audeat circumveniri, decipi, circumduci? Quid speramus fore deinceps in Religione tutum, hac via improbis hominibus ad maledicendum, & Romæ Decreta contemnenda patefacta? Idem vero jactatum in BENEDICTUM XIV. quale tandem convicium est? quæ injuria? quæ contemptio? Hic tantus Pontifex tam exigue sapere visus est Scriptori maledicentissimo, ut quid contineretur in Bibliotheca Jansenistica ad diligentissimum Congregationis examen deducta ignoraret prorsus, neque posset, quin Ricchinii fraudibus caperetur, de ea re judicare. Huic Pontifici, quo e manibus imperitorum Librum eriperet exitiosum, necesse fuit, Ricchinium imponere, atque insidiari. Quid posset e grege Lutheranorum Scriptor deterius in Pontificem Romanum jactare?* Addit & alia Philalethes, quæ videri possunt in citata epistola jam variis in locis edita, quæ tota est in confodienda epistola, seu potius libello famoso pseudoctoris Sorbonici.

VII. Certum profecto illud est, quod jam non semel notavimus, ægreferri a larvato Sorbonico Doctore Secretarii Indicis, Magistri Sacri Palatii, & Commissarii Sanctæ Inquisitionis munia a Dominicanis exerceri; temereque asserit, quod & olim perperam scripsit Petrus a Valle Clausa, graviora metuenda, *nisi tandem aliquando missis Fratribus, hujusmodi Curiæ Romanæ Munera ad graves, & doctos Prælatos devolvantur*. Arcendos monet Religiosos a memoratis Officiis, ut soli seculares Præsules admoveantur, quasi ipsi nullo partium studio laborent, & omni affectu humano sint intacti. Satis feliciter penetravit hos sensus, aperuitque malevoli animi morbum doctissimus Vincentius Baronius in suo Apologetico Lib. v. Sectione ultima, Articulo 1. ubi prædictum Petrum confutans,

tans, ait, consilium illius a morbo veteri natum, quod nec parem, nec superiorem ullum pati posset, nisi illi omnino morem gereret. Dici & adversum pseudodoctorem Sorbonicum possunt, quæ ibidem laudatus Baronius mox subjicit: *Ut Divi Basilii comparatione utar, cum Religiosos, & Dominicanos de te non vis quidquam statuere, & ad seculares appellas, videris mihi similis nauseam stomachi, & vomitum ex maris jactatione patientibus, qui ut morbum levent, identidem locum mutant, & a navi ad schapham descendunt, nullo solatio mali, cujus causa in visceribus hæret.* Tum vero paulo post: *A Religiosis vis ad seculares ire, & ab istis statim velles redire ad Religiosos; aut quod verius est, malles, tui esse arbitrii, & nulli subjici &c.*

VIII. Sævit potissimum larvatus Sorbonicus in Ricchinium Congregationis Indicis Secretarium ob damnatam ab ipsa Congregatione Bibliothecam Jansenianam artificio Ricchinii, imitarique visus iccirco est canes, qui lapidem appetunt, & mordent, dum projicientem nequeunt, aut non audent invadere. Quid enim Secretarius Indicis, quid Decretum ejus nomine subscriptum? Plane veluti lapis est, quo latratus compescat. At Sorbonicus vafer quasi totus in rabiem actus, cum nequeat aperte in Congregationem sævire, & in Eminentissimos Cardinales, tametsi nec illis, nec Summo Pontifici pepercerit, Secretarium lacerat, ac discerpit. Neque hæc est furoris ejus meta. Vult etiam totam gentem Dominicanorum perire, & Officia auferri ab illis, & Prælatis committi. Sed vana est hæc declamatio, frustraque sperat, Sapientissimos Romanos Pontifices sua mutaturos consilia, pseudosorbonico declamante in Dominicanos. Non certe magis, quam Luna a suo cursu deflectit ad canis latratus. Sciunt Romani Pontifices, primum Indicis Secretarium fuisse Franciscum Forerium Dominicanum, & ob tanti Viri celeberrimam memoriam dederunt illud Dominicanis Officium, sicut Magisterium Sacri Palatii ob merita S. Dominici, & aliud Commissarii Sanctæ Inquisitionis in gratiam S. Petri Marty-

tyris, & S. Pii V. qui eo munere primum donatus fuit, & deinde evectus ipse ad Petri Cathedram Palatium Sancti Officii extruxit, & Congregationem Sanctæ Inquisitionis ampliavit. Non facile mutant res mature sancitas, diu servatas, & præscriptas tempore Romani Pontifices Sapientissimi ad unius hominis voces; nec patiuntur, relicto proprio judicio, insanorum consiliis, ac votis adhærere.

IX. Puto equidem, Dei gratia, & Summorum Pontificum liberalitate factum, ne unquam hactenus munia ipsa a Dominicanis ad aliorum manus pervenerint, tametsi ante pseudoctorem Sorbonicum, adversus ipsos, & Joannes Baptista Poza, & Petrus a Valle Clausa, & alii declamarint. Quamvis enim, ut idem Baronius fatetur loco citato, §. 11. summa sit Pontificum potestas in ea, quæ Jure Ecclesiastico Decessorum voluntate sancita sunt, ut legitima suppetat, cum libuerit illa immutandi, vel tollendi facultas, nec ullus foret de læso jure expostulandi locus, si concessa, & multis seculis ad nostrum usque servata Pontificum beneficio munia, in alios translaturus, Dominicanis abrogaret; hoc tamen maxime ipsorum Dominicanorum tum veterum, tum recentiorum virtutem, & fidem erga Apostolicam Sedem, atque Summorum Pontificum in eosdem effusam bonitatem commendat, quod munia ipsa, quorum penes ipsos Pontifices esset arbitrium, Dominicanæ Familiæ perpetuo asserta voluerint, quasi summo jure ad eos pertinerent, nec citra injuriam, ut ita dicam, possent auferri.

X. Ridiculum vero est illud, quod Petrus a Valle Clausa non contentus variis calumniis lacerasse Dominicanos, affectans ex summa charitate, & prudentia, illorum saluti, ac paci consulere, eosdem vellet sibi solis attendere; cum alias omnibus constet, a S. Patriarcha Dominico institutum fuisse Ordinem Prædicatorum, ut ejus nempe Alumni partes Mariæ, & Marthæ egregie peragant, & contemplationi actionem adjungant; ut studeant, & meditata populis tradant; ut noverint, non sibi, sed toti Ecclesiæ esse natos, & de toto genere humano bene merean-

reantur. Neque ſolum inſtitutione, & legibus, ſed etiam ſuo exemplo Filiis ſuis præivit Patriarcha Sanctiſſimus. Ipſe omnium primus, & poſt ipſum zelantiſſimi Filii in hæreticos inquiſierunt. Primus ipſe omnium Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, eodemque Munere ad hanc uſque diem ſapientiſſimi Alumni defuncti ſunt, ex quibus etiam non paucos Romani Pontifices Maximi Cardinalitia Dignitate donarunt, uti jam diximus Lib. II. Operis noſtri, quod nuper edidimus, *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici*. Quid mali, quid peccati eſt, Dominicanos recentiores Sedi Apoſtolicæ obſequentiſſimos, majorum ſuorum inhærere veſtigiis, in eadem ſtatione militare, eadem obire miniſteria, quæ illi his veluti hæreditaria ex ejuſdem Apoſtolicæ Sedis benignitate reliquere? Vellent profecto adverſarii Dominicanos a celebritate Urbium in Clauſtrum, & in ſolitudinem retrudere, uno verbo, vellent, ut eſſent Carthuſiani.

XI. Sed hæc deliria adverſariorum ſunt; nam alias Summi Pontifices, qui ipſa Munia Ordini Prædicatorum, ob ejus in Eccleſiam merita, ob ſanam doctrinam, quam ſuum ſequentes Angelicum Doctorem propugnarunt ſemper, ob Chriſtianam Religionem, & Catholicam Fidem in Ethnicorum & Hæreticorum Provincias invectam, ob vitam pro ejuſdem Fidei Catholicæ dilatatione profuſam, concrediderunt, Deo adjuvante, numquam ſinent, ut ipſi Dominicani a memoratis Officiis amoveantur, humani generis hoſte perperam adnitente. In una enim Familia tot ſeculis ſummis laboribus hæc miniſteria comparata, quod ad alios pervenire debeant, nemo unquam ſanæ mentis ſibi perſuaſerit.

LI-

# LIBER II.

## In quo Series eorum describitur, qui ad hanc usque diem ex Prædicatorum Ordine Secretarii Congregationis Indicis fuere.

### CAP. I.

### *De F. Francisco Forerio Ulyssiponensi.*

I. PRIMUS omnium Secretarius Indicis jam recte fuisse dicitur Fr. Franciscus Forerius Lusitanus Ulyssiponensis Ordinis Prædicatorum, quippe qui, uti Libro I. non uno in loco notavimus, a Sancta Œcumenica Tridentina Synodecretus fuit Secretarius Deputationis, quam Synodus ipsa instituit anno MDLXII. super conficiendo Indice Librorum prohibitorum. Sane Franciscus ipse, ut narrat Clarissimus Jacobus Echard in Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDLXXXI. pag. 261. & seqq. natalibus clarus, sed litteris, & eruditione longe clarior in Orbe fulsit seculo XVII. Adolescens Ordinem Prædicatorum amplexus, in linguarum se a juventute optima cognitione exercuit, Latinamque, Græcam, & Hebraicam egregie sibi comparavit. Cumque acutissimi esset ingenii, judicii juxta & acerrimi, earundem linguarum beneficio, & auxilio, seu in Patria, seu Parisiis, quo studiorum causa a Joanne III. Lusitano Rege animi plane Regii, cum æqualibus suis quamplurimis missus fuit, Theologiæ dans operam, profundissimus evasit ille Theologus, qua Scholasticam illa partem attingit, qua & Positivam, Moralemque spectare posset.

II. In Patriam e Galliis redux Forerius circa annum MDXL. mox in Scholis, sacrisque Pulpitis doctrina, & facun-

cundia magnam sibi comparavit famam, quæ & Regis Aulam usque pervasit. Henrico Cardinali, & Ludovico Principibus Joannis III. Regis Fratribus germanis, ob egregias partes, animique dotes eximias, acceptissimus fuit, & ab altero delectus, qui Filium erudiret Antonium, Cratensem exinde Priorem, & Regnum ipsum aliquando affectantem. Sed & a Rege non longo post intervallo Concionator Ordinarius, & Regius Ecclesiastes ascitus fuit cum annuo 50000. Regalium, seu Turonensium librarum 300. honorario, datis in id Regiis Litteris die XXIII. Decembris anni MDLV. quo etiam munere sub Sebastiano Rege, stipendioque fruebatur.

III. Cum autem anno MDLXI. ad Concilium Tridentinum, quod sub Pio Papa IV. continuabatur graviores ex omnibus Regnis mitterentur Theologi, laudatus Forerius a prædicto Sebastiano Rege in primis selectus est, qui suo nomine in ipso Concilio adesset Theologus. Quantum vero in eodem Concilio adlaborarit Forerius, commissa ei a Patribus munia, & majoris momenti negotia testantur. Dominica I. Adventus anni MDLXII. ad Synodi Patres orationem habuit quidem Forerius, quæ deinde anno MDLXIII. Brixiæ edita fuit, mirumque videri debet, eam in collectionibus hujusmodi Orationum, seu Concionum Tridenti habitarum etiam in Parisiensi anni MDCLXXII. Conciliorum editione fuisse omissam. Ac præterea referente Ludovico Munoz in Vita Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracarensis Hispane scripta, pag. 225. cum ipsi Bartholomæo a Patribus Synodi commissa fuisset Concionatores, qui identidem coram ipsis prædicarent, eligendi cura, ejusdem jussu Forerius Feria VI. post Dominicam II. Quadragesimæ *de vinea Domini* ex Sugestu publice oravit, & adeo partibus omnibus absolutus visus est Concionator, ut sequenti Quedragesima Conciones singulis septimanis eum habere voluerint.

IV. Deputatione conficiendi Indicis vetitorum Librorum instituta a Concilio Tridentino Sessione XIX. seu II. sub Pio IV. die XXVI. Februarii anni MDLXII. de qua diximus

ximus supra Lib. I. non uno in loco, Secretarius ejusdem Deputationis institutus fuit Forerius, quod ea in re summe esset versatus, quippe qui jam antea in Regno Lusitaniæ Censor publicus Librorum a Consilio Regio positus, & declaratus fuerat, ut ipse refert in Epistola nuncupatoria Commentariorum in Isaiam Prophetam ad Patres Tridentinos. Fuisse autem illum Secretarium memoratæ Tridentinæ Deputationis, constat vel ex Indice Librorum prohibitorum auctoritate Pii IV. primum edito Romæ e Typographia Cameræ Apostolicæ, anno MDLXIV. in quo legitur *Præfatio in Indicem Librorum prohibitorum confectum a Deputatione Tridentinæ Synodi R. P. F. Francisci Forerii Ord. Præd. S. T. Professoris, & ejusdem Depatationis Secretarii*. Idque etiam testatur Possevinus in sacro Apparatu, sic inquiens: *Unus ex Theologis nostris fuit ille F. Franciscus Forerius Lusitanus, qui Deputationi ad Censuram Librorum in eodem Concilio datus, Indicis Librorum ordinandi, & in eam formam, qua legitur, edendi Auctor fuit*.

IV. Præterea componendo, concinnandoque Catechismo jussu Tridentini Concilii, adhibitis insignibus ex Dominicana Familia Theologis, Leonardo Marino Archiepiscopo Lancianensi, & Ægidio Fuscarario Episcopo Mutinensi, de quo fusius dixi Lib. II. *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Capite XXXVIII. adjunctus fuit ejusdem Familiæ Dominicanæ Alumnus Franciscus Forerius, ut inter alios plures testatur S. Carolus Borromæus datis ad Lusitaniæ Regem Sebastianum, & ad Henricum Cardinalem Lusitanum Novembris initio anno NDLXIV. litteris, quibus Forerium excusans, cur non illico a fine Concilii in patriam redierit, ejus operam scilicet Romæ necessariam fuisse in conscribendo Catechismo, tantisperque detineri, dum absolvatur Opus. Sed & id testantur alii plures, estque vulgo notum, uti observat Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, anno MDLXXXI. pag. 263. ubi etiam tradit, Missale quoque, Breviarumque Romanum, recognoscenda, purganda, ac reformanda ipsi Forerio, duo-

busque aliis insignioribus Prælatis laudatis commissa fuisse a Concilii Tridentini Patribus primum, tum vero a Pio Papa IV. eaque tandem emaculata prodiisse sub Pio V. Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ anno Domini MDLXVIII.

V. Quanta insuper fuerit Forerii æstimatio apud Tridentinos Patres, vel ex eo patet, quod cum quædam occurrissent cum Summo Pontifice ore ad os communicanda, ad idque homine opus esset fidissimo, hæc ipsi Forerio a Patribus Tridentinis provincia demandata fuerit, quam & ita exequutus est, ut & expectationi Patrum plane responderit, & maximam sui fecerit apud Pium Papam IV. existimationem. Sed tandem ad suos reversus est Sodales Ulyssiponenses anno MDLXVI. eoque munere Censoris publici Librorum, quo in Lusitaniæ Regno antea fungebatur, post reditum fungi perrexit. Prior Conventus mox constitutus fuit, & deinde in Comitiis mense Septembris anno Christi MDLXVIII. in Provincialem electus; quo munere fungens Conventum in Almada non longe ab Urbe Regia erexit, in quem ut secretiorem locum munere expleto anno MDLXXI. secessit, studiis deinceps, unique saluti vacaturus, ubi obiit morbo correptus anno MDLXXXI. die x. Januarii, & in Aula Capitulari sepultus. Hinc evanescit quod fabulantur nonnulli, conspecta nempe ex monte Antonii Cratensis sui olim discipuli, & ad Regnum aspirantis clade, Albanique Ducis Hispanorum polemarchæ victoria, subito ex mœrore vehementi exanimem corruisse, & animam efflasse; prælium siquidem illud jam sex antea fere mensibus, die nempe xxv. Augusti commissum fuit. Forerii cum laude singulari meminere Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta, Lusitanus, Possevinus, Fernandez, ac præ ceteris a Jacobo Echard citatis Sousa in Historia Provinciæ Portugalliæ variis locis. Episcopatum sibi oblatum recusasse Forerium, testatur inter alios Vincentius Baronius Tomo II. Apologetici, Lib. IV. Sectione IV. Articulo I. §. I.

VI. Varia scripta, ac edita a Forerio Opera memoratus Echard recenset citato superius loco, suntque hæc

1. *Isaiæ*

1. *Isaiæ Prophetæ vetus, & nova ex Hebraico versio cum Commentario, in quo utriusque ratio redditur, vulgatus Interpres a plurimorum calumniis vindicatur, & loci omnes, quibus sana doctrina adversus hæreticos, atque Judæos confirmari potest, summo studio, ac diligentia explicantur*, Venetiis anno MDLXIII. in fol. itemque Antuerpiæ MDLXV. in 8. In Epistola nuncupatoria ad Henricum Cardinalem Lusitaniæ Principem Patres Societatis Jesu Collegio Eborensi præfectos laudat, *ut doctrina, & sanctitate præcellentes: qui velim*, inquit, *pro sua singulari probitate, ac maxima benevolentia, qua eorum Societatem propter Religionem, & vitæ rationem habui conjunctissimam, ut, siquæ fuerint obtrectatorum calumniæ, me ab omnibus vindicent*. In Præfatione ad Amicos sic habet: *Coram Christo loquor, a quo eadem accepi, me quicquid est, quod, vel ipsi laudant, vel laudari intellexerunt, quicquid in meis concionibus populum tenet, atque afficit, quicquid est eloquentiæ, suavitatis, gravitatis, omnemque facultatem, quam mihi in dicendo tribuunt, hac ratione esse assequutum, quam in interpretando Isaia sequor*. Sixtus Senensis de hoc Commentario sic censet: *Nullum unquam Opus in hoc scribendi genere prodiit in lucem, quod æquius possit cornucopiæ appellari*.

2. *Commentaria in omnes Libros Prophetarum, ac Job, Davidis, & Salomonis*, prælo parata se habere testatur ipse in epistola nuncupatoria Operis superioris ad Patres Tridentinæ Synodi, *in quibus*, ait, *germanam, Catholicamque sententiam summa diligentia, ac studio, singulis dictionibus examinatis, dicendique formulis Hebræorum observatis, elicui, ut promulgarem. Opus sane spissum est, operosum, quod etiam haud scio, an unquam unus homo præstare possit. In Commentario in reliquos Prophetas*, ut dicit in Præfatione citata ad Amicos, *tantummodo loci difficiles explicantur*. Commentarium vero in Job tanti, & præ omnibus habebat, ut cum aliquando cella sua conflagraret, igne fortuito erumpente, sedato igne, quæsierit, an saltem Job salvus, & integer abiisset, cum-

que salvum accepisset, cætera igne absumta patienter tulit. Sic refert Sousa in Historia Provinciæ Portugalliæ Parte III. pag. 494. addens extare etiamnum Opus illud Auctori carissimum, & in ejus potestate esse, qui nec diu lucem desiderare publicam promittebat.

3. *Lucubrationes in Evangelia, quæ per totum anni curriculum leguntur ab eo per viginti annos in Aula Regia, & apud Cives Ulyssiponense spro suggestu in concionibus exposita*, etiam prælo paratæ erant, quas in Præfatione citata ad Amicos, *ab iis, qui adfuerant, vehementer laudari* asserit; & si ederentur, *multo plures fore, qui eos Libros legerent, suoque nomini melius consultum iri*. Vix ulli tempestate sua, inquit Vasæus in Chronico ad annum MDLXVII. fuit concionandi dexteritate secundus.

4. *Lexicum Hebraicum* sibi confecerat *maximis vigiliis*, ut ipse testatur in Præfatione citata ad Amicos, *non solum ex aliis Lexicis*, sed & *examinatis locis, quos citant ad verborum significationes comprobandas*; *quod*, inquit, *incredibile dictu est, quantum negotium mihi facesserit*. Nec omittendum quod in eadem Præfatione addit, in addiscenda scilicet lingua Hebræa Præceptore usum esse Angelo Caninio Anglariensi, *qui ad linguas docendas natus esse videbatur, atque Hispali mortuus est*. Recenset & alia Forerii Opera Echard loco citato, de quibus jam nos mentionem superius fecimus; viderique possunt, quæ de eisdem inter alios scribit in sua *Galleria* eruditus Cavalierius Tomo II. pag. 101. num. 18.

## C A P. II.

### *De F. Joanne Baptista Lancio Regiensi, postea Sacri Palatii Apostolici Magistro.*

I. Deputatione Concilii Tridentini pro conficiendo Librororum vetitorum Indice, cujus Secretarius fuit F. Franciscus Forerius in Congregatione erecta a Sancto Pio V. anno MDLXXI. ut superius jam dictum fuit Lib. I. de-

designatus fuit quidem ipsi Sacræ Congregationi Secretarius F. Antonius Possius a Monte Alcino Ordinis Minorum Conventualium, qui Concilio Tridentino interfuerat; quique vix munus ipsum pauco tempore exercuit, siquidem, ut inter alios notavit Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDXCVIII. pag. 323. F. *Joannes Baptista Lancius Secretarius Congregationis Indicis Antonii Possii absentis vices una supplevit, ejusdemque postea anno* MDLXXX. *die xvij. Novembris suffectus est loco, a Gregorio XIII. institutus*. Semper deinde serie non interrupta usque ad hanc diem Secretarios Congregationis Indicis fuisse a Summis Pontificibus ex inclyto Prædicatorum Ordine assumtos, perperam malevolis, & invidis, calumniatoribusque obnitentibus, perspicue ostendemus per varia hujus Libri Capita, in quibus electionem, ac gesta illustria singulorum Secretariorum laudatæ Congregationis ex professo referemus.

II. Certum plane est, quod jam ante nos notavit doctissimus F. Hyacinthus Libellus Ordinis Prædicatorum, Secretarius & ipse aliquando ejusdem Congregationis, in sua ad Lectorem Admonitione, quam legere est in Indice Librorum prohibitorum Alexandri VII. Pontificis Maximi jussu edito Romæ anno MDLXIV. pag. 227. & sequenti, ubi sic inter alia inquit: *Hanc postea Deputationem in Indicis Congregationem Pius V. erexit, Secretario eidem assignato Antonio Possio: ad quod munus deinceps Summi Pontifices Viros ex Ordine Prædicatorum assumserunt. Unde sequentes ex eadem Familia nusquam interrupta serie usque ad præsentem diem numerantur*. Recenset mox singulos Secretarios, ac se etiam ipsum, qui eo munere donatus fuit ab Alexandro Papa VII. anno MDCLXV. Sunt autem illi: *Joannes Baptista Lancius Regiensis ad Sacri Palatii Magisterium postea evectus. Vincentius Bonardus, postmodum ejusdem Sacri Palatii Apostolici Magister, ac demum Episcopus Hieracensis, cujus honorabilem mentionem facit Baronius anno Christi LVIII. Paulus Picus de Burgo Sancti Sepulchri, post Episcopus Vulturariensis. Thomas Pallavici-*

*vicinus Bononiensis. Franciscus Magdalenus Capiferreus Romanus. Joannes Baptista de Marinis, nunc Ordinis Magister Generalis. Raymundus Capisuccus Romanus, nunc Magister Sacri Palatii. Hyacinthus Libellus Typhernas.* Hactenus ille, qui tunc temporis Secretarius erat prædictæ Congregationis, cui deinde & alii ex eodem Prædicatorum Ordine in eo munere successerunt.

III. His non obscure notatis, Joannes Baptista Lancius, de quo agimus in hoc Capite, Regii Lepidi in Lombardia natus est, Ordinemque Prædicatorum ibidem professus, factusque in Scholasticis Disciplinis, atque Fidei Catholicæ negotiis pertractandis versatissimus, in multis suæ Provinciæ locis, ac præserrim Januæ Inquisitionis munus summa cum laude obivit, tum vero a F. Paulo Constabili Sacri Palatii Apostolici Magistro in Socium ascitus, Secretarii Congregationis Indicis Fr. Antonii Possii Ordinis Conventualium absentis vices una supplevit, ejusdemque postea anno MDLXXX. die XVII. Novembris suffectus est loco a Gregorio XIII. institutus. Fuit deinde Sacri Palatii Magister creatus a Clemente Papa VIII. anno MDXCVII. eoque munere functus est ad annum usque sequentem, quo vivere desiit. Vide quæ de ipso diximus in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. II. suo loco, unumque illud hoc loco adnotabimus, plures deinde alios Sacri Palatii Magistrorum Socios in Secretatios Sacræ Congregationis Indicis a Summis Pontificibus fuisse adlectos, ex Secretariis quoque ipsis non paucos ab ejisdem Pontificibus renunciatos fuisse Magistros Sacri Palatii, ut ex sequentibus Capitibus patebit.

## C A P. III.

*De F. Vincentio Bonardo Romano, postea Magistro Sacri Palatii, ac demum Episcopo Hieracensi.*

I. IN Lancii locum Secretarius Sacræ Congregationis Indicis suffectus est quidem a Gregorio XII. Pontifice

ce anno MDLXXXIII. die III. Junii F. Vincentius Bonardus ortu, professioneque Romanus, Conventus S. Mariæ super Minervam alumnus, Vir tum eruditione, tum & morum integritate conspicuus, Concionator egregius, ac Sacræ Theologiæ Magister. Præfuit variis suæ Romanæ Provinciæ Cœnobiis, Prioremque memorati Conventus Sanctæ Mariæ ad Minervam, cujus erat Filius, cum laude egit, & incremento Regularis Disciplinæ. Hunc sibi munerisque sui Socium ascivit Sacri Palatii Apostolici Magister F. Thomas Zobbius, eumque deinde laudatus Gregorius XIII. die III. Junii, uti dictum est, anno MDLXXXIII. Sacræ Congregationis Indicis Secretarium instituit; ereptoque e vivis Zobbio anno MDLXXXIX. mox ipsum Bonardum Secretarii Indicis munere fungentem Sixtus Papa V. in illius locum Sacri Palatii Magistrum substituit; atque ex eo munere, quo biennium functus est, summa omnium approbatione ad Hieracensem in ulteriori Calabria Rhegiensis suffraganeam Ecclesiam promovit Gregorius XIV. die XX. Martii anno MDXCI. quam decem Præsul ipse optimus, & vigilantissimus administravit annis, atque ibidem in pace quievit die XI. Martii anno MDCI. in sua Cathedrali sepultus. Vide quæ de eodem Bonardo diximus nos in nostro Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici* Lib. II. Cap. XLVI. Videri & de eodem Bonardo potest quod sua *Galleria* scribit Cavalierius, ut alios omittam Scriptores, qui Bonardi cum laude meminere.

## CAP. IV.

*De F. Paulo Pico a Burgo Sancti Sepulchri, postea Episcopo Vulturariensi.*

I. PRomoto ad Sacri Palatii Magisterium F. Vincentio Bonardo, anno, uti dictum est in Capite præcedenti, MDXCI. elegit mox Gregorius XIV. eodem anno, & quidem die XXX. Martii in Secretarium Indicis Fr. Paulum Picum a Burgo Sancti Sepulchri, & Cœnobii S. Mariæ ad Mi-

Minervam Alumnum. Fuit Sacræ Theologiæ Magister, & Vir plane egregius, Socius quoque Magistri Sacri Palatii, & exinde Indicis Secretarius. Quo in munere cum Summis Pontificibus laudato Gregorio XIV. Clementi VIII. ac Paulo V. utilem se, ac fidum Ministrum probasset, ab ultimo, nempe a Paulo V. ad Ecclesias Vulturariensem, & Montis Corvini sub Archiepiscopatu Beneventano simul adunatas promotus est anno MDCXIII. die XV. Julii, uti videre est in Regestis Cancellariæ Apostolicæ, & apud varios Scriptores, quos recenset doctissimus Bremond Tomo V. Bullarii Dominicani, in Appendice ad Constitutiones Pauli V. pag. 724. Porro Pastoris vigilantissimi officio novem circiter annis perfunctus Picus sancte obiit anno MDCXXII. Ejus cum laude meminit inter alios Cavalierius in sua *Galleria*, Tomo I. pag. 557. Num. XXIV. ubi etiam notat, oblitum fuisse Ughellum recensere Tomo VIII. suæ Italiæ Sacræ hunc Episcopum. Porro, ut adnotavit Echard Tom. II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, ad annum MDCXXII. pag. 428. col. II. Pici curis prodiit, cum esset scilicet Secretarius Indicis, *Index Librorum prohibitorum cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Pii IV. primum editus, postea vero a Sixto V. auctus, & nunc demum auctoritate Clementis VIII. recognitus, & publicatus; instructione adjecta de exequendo prohibitionis Decreto, atque sincere emendandi, & imprimendi Libros ratione*. Romæ typis Cameræ MDXC. in 8.

## CAP. V.

### *De F. Thoma Pallavicino Bononiensi.*

I. AD Episcopatum promoto Paulo Pico a Paulo V. anno MDCXIII. ab eodem Pontifice in ejus locum eodem anno Secretarius Sacræ Congregationis Indicis suffectus fuit Thomas Pallavicinus Bononiensis, uti idem testatur in Actis Congregationis ad annum MDCXIII. pag. 48. a tergo, ubi ita scribit: *Ad laudem, & gloriam Omnipoten-*

*tentis Dei, Beatæque Virginis Mariæ, & Sanctorum Petri & Pauli, & B. Dominici Patris nostri, Ego Fr. Thomas Pallavicinus Bononiensis Magister Romanæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, jampridem annuente Sanctissimo, a Sacra Congregatione Secretarius designatus, & admissus Officium Secretarii nunc exercere cœpi*, nempe die xx. Julii anni MDCXIII. *ob assumptionem factam ad Episcopatum Vulturarensem R. A. P. Magistri Fr. Pauli Pici ejusdem Ordinis, & Provinciæ, & Deo favente, quo potero diligentia, & fide injunctum Munus adimplere curabo*. Porro dum novum Indicem moliretur Pallavicinus post editionem Indicis promulgati anno MDXCVI. quem collegisse se dicit partim ex Edictis Magistrorum Sacri Palatii, partim ex Decretis Sacrarum Congregationum Sancti Officii & Indicis nondum impressis, aliisque Libris ex speciali mandato Summorum Pontificum prohibitis, pie obiit Romæ in Palatio Apostolico, ejusque cum laude meminit inter alios Fontana in Libro, *De Romana Provincia*, Titulo IX. qui inscriptus est: *De Sacræ Congregationis Indicis Secretariis*, pag. 349.

II. Teste eodem Fontana in Monumentis Dominicanis, Parte IV. Cap. XVI. pag. 585. *Pater Thomas Pallavicinus constituitur a Paulo V. Pontifice Sacræ Congregationis Indicis Secretarius post Picum; quo in munere Apostolicæ Sedi inservivit annos duos, post quos debitum humanæ fragilitatis persolvit in Palatio Vaticano, ex Regestis ejusdem Congregationis*. Atque hic nota, quod alias Lib. I. Cap. XIX. diximus, Secretarium Indicis suam primum habuisse habitationem in Palatio Pontificio; ex recitato autem testimonio illud constat anno MDCXV. quo Pallavicinus obiit, ipsum Indicis Secretarium adhuc in Palatio Pontificio habitasse. Præter memoratum Fontanam jam & alii quoque Scriptores Prædicatorum summa cum laude meminere præstantissimi hujus Viri; fuit enim doctus æque ac pius, & Constitutionum observantissimus, ideoque a suis, ac etiam ab exteris magni habitus, præsertim vero a Summo Pontifice Paulo V.

## C A P. VI.

### *De Fr. Francisco Magdaleno Capiferreo Romano.*

I. POst obitum Pallavicini, ad Secretarii Indicis munus subeundum delectus a Paulo V. Pontifice fuit die XXVII. Januarii anno MDCXV. Fr. Franciscus Magdalenus Capiferreus Romanus ex antiqua & nobili Magdalenorum Familia Ursinis conjuncta & affini oriundus. Adolescens Ordinem Prædicatorum præclaris dotibus ornatus amplexus est Romæ in Conventu S. Mariæ ad Minervam. Teste inter alios Jacobo Echard Tomo II. Scriptorum sui Dominicani Ordinis anno MDCXXXII. pag. 473. mox ille veræ pietati, litterisque operam adeo navavit egregie, ut nondum Sacerdotii ætatem adeptus artes apud suos & Theologiam professus fuerit, & docuerit. Tanta sanctimonia, & eruditione enituit, ut ad publica, & privata munia assumptus nusquam vacandi locum habuerit. Collegii Græcorum jam Rector erat, Græcæque juventuti instituendæ, ac moderandæ incumbebat, cum anno MDCXV. a memorato Paulo Papa V. Secretarius Congregationis Indicis adlectus est, eodemque anno a Cardinalium Sanctæ Romanæ Inquisitionis, jussu Pontificis, Magisterii laurea donatus, eoque titulo acceptatus, ut ajunt, in Capitulo Generali Bononiæ eodem anno celebrato.

II. Prior etiam suo nativo Conventui præfuit, & tandem Provinciæ Romanæ Prior Provincialis, dimisso Secretarii Indicis munere, electus, eo titulo Capitulo Generali Romæ habito anno MDCXXIX. interfuit; eoque in munere auctoritate Urbani Papæ VIII. ultra statutum tempus perseverans, in eodem, benignitate, humilitate, vigilantia erga alios clarus, rigidus autem erga seipsum, Legumque Ordinis observantissimus, pridie Idus Sextiles maximo omnium luctu extinctus est Perusii an. MCCXXXIII. Augusto mense, ut in Monumentis Dominicanis scribit Fontana, pag. 588. Solemniter ei parentarunt Conventus omnes Provinciæ, in primis vero Tiphernas, in quo & ora-

orationem funebrem habuit Henricus Gienfonius Societatis Jefu, quam prælo mandavit Fr. Michael Rainutius ibidem Supprior, Perufiæ typis Petri Thomafii, ac Fr. Nicolao Magdaleno Capiferreo Francifci germano fratri Sacræ Theologiæ Magiftro, & Conventus ad Gradus Viterbii Priori nuncupavit. Porro ejufdem Francifci cum laude meminere Allatius in apibus Urbanis, Fontana in Theatro pag. 403. & in Monumentis, pag. 588. atque in Provincia Romana, pag. 86. Acta demum Capituli Generalis Romæ habiti anno MDCL. pag. 100. Francifcum inter eos recenfent, qui cum fama fanctitatis objerunt. Ejus nomine editus eft *Elenchus Librorum omnium, tum in Tridentino, Clementinoque Indice, tum in aliis omnibus Sacræ Indicis Congregationis particularibus Decretis hactenus prohibitorum ordine uno alphabetico digeftus*, Urbano VIII. nuncupatus, Romæ typis Cameræ Apoftolicæ MDCXXXII.

## CAP. VII.

### *De Fr. Joanne Baptifta de Marinis Januenfi, poftea Ordinis Prædicatorum Generali Magiftro.*

I. Capiferreo in Secretarii Indicis munus fubftitutus eft ab Urbano Papa VIII. anno MDCXXVIII. Joannes Baptifta de Marinis, Patria, nativitateque Romanus, gente vero Januenfi e Marina Ligurum Patricia Familia, natus die XXVIII. menfis Novembris anni MDXCVII. cui a facro Fonte Ferdinandi nomen impofitum fuit. Is a puero pietatem haufit a parentibus, Joanne Baptifta Viro pietate litterifque ac moribus longe, quam natalibus etiam fpectabili, & Theodora Juftiniana femina illuftri; liberalibufque difciplinis eruditus, adolefcens annorum fexdecim Prædicatorum Ordinem amplexus, e manibus Magiftri ejufdem Ordinis Fr. Seraphini Sicci Papienfis Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ad Minervam habitum fumfit die XXV. Martii anni MDCXIII. nomine fibi Joannis Baptiftæ impofito; fequentique anno MDCXIV. eadem die XXV.

 Mar-

Martii solemnem professionem emisit. Mox studiorum causa in Hispaniam missus Salmanticæ, complutique Philosophiæ, Teologiæque studuit. Inde in Italiam reversus, Theologiam apud suos Romæ in Cœnobio S. Mariæ ad Minervam docuit, laureaque Magisterii donatus, Sacræ Congregationis Indicis Secretarius a memorato Pontifice Urbano VIII. delectus est anno MDCXXVIII. uti post alios tradit Jacobus Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum anno MDCL. pag. 561.

II. In eo Secretarii Congregationis Indicis munere plurimas atque eximias ostendit mox ille ingenii, religionis, & animi sui partes, infrunitorum nonnullorum Auctorum in se provocavit innocens Religiosus invidiam, quorum ab ipso Pontifice, vel a Sacra Congregatione prohibiti fuissent Libri, ut non inde mirum videri debeat, in eum ita sævisse, & insaniisse Petrum a Valle Clausa, seu potius Theophilum Raynaudum, cusum olim a se Librum, *De martyrio per pestem*, aliaque Opera proscripta dolentem, & sentientem. Lacerat passim, carpitque atrociter Petrus ipse Joannem Baptistam, quem etiam præ aliis titulis summa non nisi temeritate *Opilonem Arcadiæ* appellat, sed ab hujus male feriati hominis injuriis calumnisque egregie Virum eximium vindicavit inter alios doctissimus, religiosissimusque Vincentius Baronius, Lib. I. sui Apologetici in Argumento totius Operis, Articulo IV. pag. 15. ubi inter alia ita scribit: *An quo cares, Natalium ejus splendorem spernis, & totis viribus is maculatum? & qui inter tuos majores non nisi bajulos, & fossores numeras, placuit tibi conviciis prosequi eum, qui citra jactantiam posset de Imperatorum prosapia gloriari: & quem virtus, & merita, & vita innocenter acta, ad Magisterium Ordinis per Electorum vota, ipso Summo Pontifice Innocentio X. approbante, evexerunt, maligne, & falso, immeritum, & intrusum calumniaris Generalem, qui his gradibus ad Ordinis Magisterium conscendit. Qua fronte etiam obtrudis Ignorantiam Grammatices, & Theologiæ illi, qui Salmanticæ per octo annos decurrit Philosophiæ, & Theo-*

*& Theologiæ spatia, & supra viginti defunctus cum summa laude munere Congregationis Indicis Secretarii, Summos Pontifices, & Cardinales habuit suæ virtutis, & scientiæ testes, & præcones?* Notanda quæ mox idem Baronius subjicit: *Sed ut video, infausti ominis tibi est Marini nomen, & ad illud toto corpore cohorrescis, quod subscriptum videas Decretis, quibus Libri tui configuntur. Sed quid propterea commeruit, qui ne quidem suffragio tibi nocere potuit, & prolatæ ab aliis sententiæ Secretarii nomine subscripserit?*

III. Pergit Baronius, causamque odii Petri a Valle Clausa in Dominicanos eam esse notavit, *quod Officia occupent, & exercent*, quæ sibi scilicet Petrus vellet: *Hinc dolor*, inquit, *hinc lacrymæ. Hanc demonstrationem de intimo animi tui sensu confirmat callatio ipsa scriptionis, & causæ, quæ te adscribendum impulit. A duodecim annis assumptus ad Magisterium Ordinis, a negotiis Congregationis Indicis omnino abstinuit Pater Generalis: examen, ac damnatio Librorum tuorum pluribus annis ejus electionum præcesserat: injuriæ, quæ non fuit illata, sensus apud Religiosum, & Christianum nullus esse debebat; aut si omnino evitari non poterat præ infirmitate, ante solis occasum ex præcepto Evangelico extingui oportebat.* Addit & alia Baronius, quibus magis magisque demonstrat Petri a Valle Clausa virus in Virum fama, eruditione, & integritate conspicuum, quæ certe Romæ sic spectata semper, probataque fuit, ut Urbanus VIII. eum Sacræ Congregationis Indicis Secretarium instituerit, & Vita functo Magistro Ordinis Prædicatorum Fr. Thoma Turco die I. Decembris anni MDCXLIX. coactisque extra ordinem ratione anni Jubilæi auctoritate Apostolica ad Successoris electionem Romæ generalibus anno MDCL. Comitiis, communibus Electorum suffragiis, ipso probante, laudanteque cum sacro Purpuratorum, & Romanæ Aulæ Præsulum cœtu, Summo Pontifice Innocentio X. die IV. Junii delectus fuerit ejusdem Ordinis Generalis Magister, quem idem Pontifex, dato ad eum Diplomate die VII. Julii ejusdem anni

anni MDCL. quod legitur Tomo VI. Bullarii Dominicani, amplissim a facultate ornavit.

IV. Vix ad regimen assumptus, visitationem Ordinis suscepit, uti ex laudato Diplomate addiscimus; munusque suum ea semper animi moderatione, zelo, vigilantia, paternoque gessit annis prope decem & novem solidis affectu, ut ab omnibus non modo suis, sed etiam ab alienis, quique cum eo tractassent aliquando, summopere coleretur, & amaretur. Plura ille in commune totius Ordinis sui bonum, & Disciplinæ Regularis incrementum, atque in Catholicæ Ecclesiæ utilitatem præstitit, præsertim vero postquam supremus electus fuit sui Prædicatorum inclyti Ordinis Præsul; calumniatusque est illum impudentissimus Scriptor Petrus a Valle Clausa, ubi inter alia execranda mendacia, mentionem de litteris facit ab ipso docto æque ac pio Generali Magistro Joanne Baptista de Marinis scriptis in gratiam Jansenistarum ad Dominicanos Theologos Parisienses. Sed & hanc calumniam egregie confutavit Baronius in suo Apologetico Lib. I. Sectione I. Articulo I. §. I. pag. 32. sic inquiens: *Quis enim nesciat, causam Jansenistarum victam opera Patris Nicolai Theologi Parisiensis Dominicani, qui magna, qua voluit nominis auctoritate, reliquos ex Ordine Doctores, & plures alios diversarum Familiarum adjunxit parti, quæ illius aucta copiis & suffragiis, Jansenianis viribus, & numero superior evasit, & hujus rei totam habeo Galliam, & fere Europam conſciam, & testem. Quid ergo comminisceris Patris Marini Epistolas in gratiam Jansenistarum, quos facto agmine omnes ejus filii impugnarunt? Sed id a te quæro, cur sine teste loquaris?* Addit tum alia Baronius, quibus magis magisque ostendit impudentissimi Auctoris odium adversus Ordinem Prædicatorum, & Angelici Doctoris doctrinam, quam ille merito profitetur.

V. Joannis Baptistæ de Marinis summa cum laude meminit Fontana in Monumentis Dominicanis, pag. 656. ubi inter alia ait, sub ejusdem Generalatu Studia Litterarum erectis hinc inde pluribus novis continuorum exercitiorum Col-

Collegiis, magna sumsisse incrementa, & ultra centum Doctorum Patrum eruditas elucubrationes typorum beneficio prodiisse in lucem. Confraternitates Sanctissimi Rosarii, Nominis Jesu, & Augustissimi Sacramenti, studio. ac promtitudine singulari usque adeo propagasse, ut in diversis locis hujusmodi pia Sodalitia circiter mille,& septuaginta ipsius auctoritate, & zelo fuisse Canonice instituta. Ipso Ordinem gubernante S. Rosam Limensem a Clemente IX. solemniter in Album Virginum Beatarum relatam fuisse. Addit & alia Fontana, ac tandem docet, Missiones Apostolicas præsertim in partibus Orientis, & Septemtrionis indefessa diligentia promovisse semper, ac crebris tum inclytis Litteris, tum subsidiis, ac Ministrorum idoneis supplementis animare fategisse. Eodem tandem teste Fontana anno MDCLXIX. pridie nonas Maji, laboribus, ac ætate fractus, inter Fratrum suorum gemitus, & lacrymas ingenti pietatis exemplo spiritum reddidit Creatori.

## CAP. VIII.

*De Fr. Raymundo Capisucco Romano, postea bis Magistro Sacri Palatii, & deinde S. R. E. Cardinali.*

I. ASsumto ad supremum Prædicatorum Ordinis regimen anno MDCL. Fr. Joanne Baptista de Marinis, elegit mox Innocentius X. in ejus locum in Secretarium Sacræ Congregationis Indicis Patrem Sacræ Theologiæ Magistrum F. Raymundum Capisuccum, nobilem Romanum, Virum summæ pietatis, atque doctrinæ, de quo loquuti sumus in nostro Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. II. Cap. LX. & LXII. loquemurque iterum fusius in alio Opere, quod Deo dante propediem edituri sumus in lucem de Summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus ex eo Ordine Prædicatorum assumtis, una cum veris eorum imaginibus ære incisis; fuit enim hic Capisuccus non modo Sacri Palatii Magister, sed S.R.E.Cardinalis ab Innocentio XI. die 1. Septembris anno MDCLXXXI. crea-

creatus, uti jam diximus in citato Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, viderique inter alios potest eruditissimus Bremond in Bullario Ordinis Prædicatorum in Appendice ad Constitutiones laudati Pontificis.

II. Sed ut de tanto Viro, quem ineptus scurra Petrus a Valle Clausa *Caput Cucurbitæ* per ludibrium vocat, aliquid hoc loco dicamus, jam nemo nescit, quod alias notavit doctissimus Vincentius Baronius in suo Apologetico, Lib. v. Sectione ultima, Articulo II. §. II. prope finem, Familiam Capisuccorum Romæ pervetustam, atque Heroum feracissimam, Infulis, armis, & Litteris illustrium, qui domi, forisque rem Christianam tutati sunt, Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati, Senatores Romani, Exercituum Præfecti, qui Fidem Catholicam adversus hæreticos in Gallia, adversus Turcas in Hungaria propugnarunt. Hos majores pietate, bello, aliisque bonis artibus celebres sortitus est Raymundus, qui vix exacta pueritia Sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit, eaque ubertate solidam doctrinam Angelici Doctoris hausit, ut Philosophiæ, ac Theologiæ Professoris functus officio in alios profuderit, & habile ad præclara quæque ingenium gravioribus negotiis aptarit per viginti fere annos exercitum. Nam primum Vincentii Candidi Magistri Sacri Palatii Socius, deinde a Secretis Sacræ Congregationis Indicis, postmodum examini Episcoporum præfectus, bis ad Sacri Palatii Magisterium, ac tandem ad Cardinalatum promotus, ubique animum integerrimum ab omni ambitu alienum omnibus approbavit, maxime vero Innocentio XI. acerrimi, & æquissimi judicii Pontifici, a quo fuit Cardinalitia dignitate donatus. Quanta vero fuerit doctrina præditus Capisuccus, eximia ejus Opera testantur relata a Viro clarissimo Jacobo Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDCXCI. pag. 729. & quidem hæc ab eo prodierunt, antequam fuisset ad Cardinalatum promotus.

1. *Controversiæ Theologicæ selectæ Scholasticæ, Morales, Dogmaticæ Scripturales ad mentem D. Thomæ*, in fol.

2. *Ap-*

2. *Appendices ad easdem Controversias Theologicas*, Romæ MDCLXXI. quas omnes deinde a se recognitas, & auctas ibidem edidit anno MDCLXXVIII. in fol.

3. *Vita B. Joannis Chisii Senensis Ordinis Eremitarum S. Augustini a Patribus ejusdem Ordinis Coloniæ Agrippinæ primum scripta, & typis Plantinianis edita anno* MDCXLI. *nunc denuo Romæ aucta, & accuratius prælo expressa*, Romæ anno MDCLV. in 8. *Beatæ Angelæ Vitæ Synopsis, & Breviarum Vitarum nonnullorum Ordinis S. Augustini* adjiciuntur.

4. *Censura, seu votum ad Librum de cultu & veneratione Sanctorum Veteris Testamenti*.

5. *Oratio Panegyrica in laudem S. Thomæ Aquinatis die vii. Martii coram S.R.E. Cardinalium Collegio in Æde S. Mariæ super Minervam ab ipso recitata*, & eodem anno Romæ typis edita, & magno Duci Etruriæ nuncupata.

6. *Discursus de gradu virtutum in Sanctis canonizandis requisito*.

7. *Sacri Sermones in Sacello Pontificio a variis habiti, & a Capisucco collecti, & prælo dati*, Romæ typis Jacobi Dragondelli MDCLXII. in 4.

III. Prodierunt tandem ab eodem Capisucco Purpura donato *Quæstiones Theologicæ selectæ Morales & Dogmaticæ*, quibus ad calcem subjecta est *Dissertatio historico-theologica de hæreticis Prædestinationis, & illorum erroribus*, Romæ typis Cameræ MDCLXXXIV. in fol. Opus Innocentio X. nuncupatum. Teste Mandosio in Bibliotheca Romana, hæc prælo parata apud ipsum Capisuccum, antequam ad Cardinalatum eveheretur, servabantur Opera.

1. *Tractatus de relatione operum in Deum*.

2. *Disputatio de contritione, & attritione*.

3. *Controversiæ Theologicæ ad Sacrum Fidei tribunal spectantes*.

4. *Quæstiones Morales variæ*.

5. *Veritates Theologicæ per earũ definitiones explicatæ*.

6. *Tractatus de opinione probabili*.

7. *Historia familiæ Capisucchæ*.

8. *Conciones multæ, quas per 20. annos in Palatio Apostolico pro muneris ratione habuit.*

IV. Itaque doctissimum fuisse Capisuccum, ex relatis Operibus constat, docentque etiam Scriptores, qui de hoc Cardinale, ejusque Operibus scripsere, ridiculusque censendus est Petrus a Valle Clausa, ubi illum per ludibrium *caput cucurbitæ* appellat. Multa in ejusdem Cardinalis laudem videri possunt dicta a nobis in citato Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Libro II. Cap. LX. & LXII. ubi ipsum Capisuccum ab injuriis, & calumniis improbi scurræ Petri a Valle Clausa vindicavimus. Plurimi siquidem fecit Capisuccum inter alios Clemens X. & Innocentius XI. a quo, pensatis non tam ejus familiæ insignibus, quam egregiis tanti Viri erga Ecclesiam meritis, die I. mensis Septembris anni MDCLXXXI. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus est, ac Presbyter Cardinalis declaratus Tituli primum S.Mariæ de Angelis, quem paulo post in S. Stephani in monte Cœlio immutavit.

V. Novem annis, ac septem circiter mensibus ea in dignitate vixit, Innocentio XI. & Alexandro VIII. acceptissimus supremarum omnium Congregationum collega, ac in arduis omnibus Ecclesiæ negotiis occupatus, diem vero tandem obiit suum Dominica in Albis xx. Aprilis anni MDCXCI. Romæ, dum actu in Comitiis essent Cardinales adunati. Capisucci cum laude meminere Auctores varii, quos recenset Echard loco citato. Sed inter alios legendus Fr. Joannes Michael Cavalierius in sua *Galleria &c.* Tomo II pag. 132. & seqq. ubi etiam tradit, coactum fuisse Capisuccum Magisterio Sacri Palatii renunciare, ob editionem scilicet ejus Libri, qui inscriptus est, *Candor Lilii &c.* sed monet mox etiam Cavalierius, suffecto in Capisucci locum F. Hyacintho Libello, quem Alexander Papa VII. summopere diligebat, exiisse per Urbem tunc eam vocem, *non propter librum*, *sed propter Libellum*, quia scilicet ejus nonnulli erant opinionis, Alexandrum editionis illius Libri occasionem captasse, ut amoto a Sacri Palatii Magisterio Capisucco, in ejus locum Hyacinthum

thum Libellum substitueret. Quicquid sit, fuit certe Capisuccus ab ea culpa immunis, ut se quiores Pontifices satis superque ostenderunt.

VI. Sepulturam elegit Capisuccus in Gentilitio Capisuccorum sepulchro in Ecclesia S. Mariæ in Porticu, sed voluit tamen, ut cor ejus, & viscera in Æde S. Mariæ super Minervam in Sacello S. Dominici conderentur, ut testatur marmorea inscriptio, quæ ante instaurationem ejusdem Sacelli factam a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. anno Jubilæi MDCCXXV. prope Altare ipsius Sacelli extabat a parte Epistolæ, & refertur a Viro diligentissimo, Reverendissimo Patre Fr. Antonino Bremond Tomo VIII. Bullarii Dominicani, pag. 520. estque hujusmodi.

D. O. M.
RAYMVNDVS TIT. S. MARIÆ ANGELORVM
AD THERMAS
S. R. E. CARDINALIS CAPISVCCVS
ORD. PRÆD.
PIO ERGA SVVM ORDINEM AFFECTV
EX HAC VITA DECEDENS
IN HOC TEMPLO
IN QVO CVM PRIMO RELIGIOSÆ VITÆ SPIRITV
DIDICIT NIHIL HABERE CORDI POTIVS
QVAM PIETATEM
SVA VOLVIT TVMVLARI PRÆCORDIA
OBIIT XX. APRILIS MDCLXXXXI.

VII. Sublata hac inscriptione ob novam Sacelli instaurationem, posita non ita pridem fuit alia inscriptio marmoreo lapidi incisa in ipsa Ecclesia S. Mariæ super Minervam, sed extra tamen ipsum Sacellum, estque tenoris, qui sequitur in sequenti pagina. Sed monendus interim Lector, me quidem eo consilio repetere quæ de laudato Capisucco scripsi in Libro, *De Magistro Sacri Palatii Apostoli*, ne videar quempiam cogere sibi prædictum Librum comparare; & ut in hoc præsenti Opere, quod, *De Secretario Sacræ Congregationis Indicis*, inscripsimus, nihil desideretur, quod ejusdem Secretarios spectat.

O 2 D. O. M.

D. O. M.
RAYMVNDO . CAPISVCCO
PAVLI . MARCHIONIS . PODII CATINI
ET HORTENSIAE . MARESCOTTAE . F.
ROMANO . ORD. PRAED.
PIETATE . DOCTRINA . MVLTISQVE . LIBRIS
VVLGATIS CLARISSIMO
S. INDIC. CONGREGATIONIS . A. SECRETIS
ET . S. PALATII . APOSTOLICI . MAGISTRO
ALIISQVE . MAGNIS . HONORIBVS . PERFVNCTO
AB . INNOCENTIO . XI. P. M. AN. MDCLXXXI.
IN . COLLEGIVM . S. R. E. CARDINALIVM . ADLECTO
QVI . SINGVLARI . IN . EOS . CVM . QVIBVS . DIV . VIXIT
AMORE
SVA . PRAECORDIA . HIC . CONDI . VOLVIT
FF. PRAEDICATORES . COENOBII . S. M. S. M.
OB . EGREGIA . BENEFICIA . IN . SE . CONLATA
ALVMNO . BENEMERENTI
M. P. P.

Sequitur Stemma Ordinis Prædic. & deinde hæc verba.

VIXIT . ANN. LXXV.
OBIIT . AN. CHR. MDCXCI. X. KAL. MAIAS

## C A P. IX.

### *De Fr. Hyacintho Libello Tiphernate, postea Magistro Sacri Palatii, ac demum Archiepiscopo Avenionensi.*

I. Capiſucco ad Sacri Palatii Magiſterium aſſumpto, Secretarii Congregationis Indicis munere donatus eſt ab Alexandro Papa VII. anno MDCLV. die XXV. Aprilis Fr. Hyacinthus Libellus Typhernus, de quo jam diximus in Opere noſtro, *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici*, Lib. II. Cap. LXI. Anno ætatis XII. Romæ in Conventu Minervitano e manibus religioſiſſimi Viri Fr. Vincentii Candidi tum Prioris, de quo diximus in recitato Opere, Lib. I. Cap. LIX. habitum induit, & ut acutioris erat adoleſcens

lescens ingenii, brevi adeo in studiis profecit, ut XVI. ætatis anno Conclusiones de universa Philosophia publice sustinuerit cum ingenti plausu. Vigesimum quintum annum agens institutus est Prædicator Generalis, Philosophiam Perusii, tum iterum Romæ docuit in Cœnobio Minervitano, ubi etiam Theologiam publice professus, in Comitiis Ordinis generalissimis anno MDCXLIV. coactis Lauream Magisterii pro meritis accepit.

II. Ad superiora deinde Ordinis sui, & Ecclesiæ munera evectus, Provinciæ Romanæ bis Prior Provincialis fuit & in Collegio *de propaganda Fide* pluribus annis Studiorum Præfectus. Sacræ Indicis Congregationis Secretarius institutus, dici nequit, quanta diligentia & fide munus illud per decem annos exercuerit, ut Acta illius testantur, & Index vetitorum Librorum, qui ab eodem summo studio confectus, ac variis Præfationibus auctus, Alexandri VII. Pontificis Maximi jussu editus fuit Romæ typis Cameræ Apostolicæ anno MDCLXIV. in 4. Teste Fontana in sua Romana Provincia, scripsit Libellus Opus, *De concursu Dei ad operationes liberas*, cujus etiam meminit Echard, Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum ad annum MDCLXXXIV. pag. 701. col. 1. Est quidem, ut idem ait, Opus ipsum manu exaratum, sed partem tamen eorum recenset, quæ in primam Partem S. Thomæ discipulis suis legebat. Sic enim Caramuel in sua fundamentali Theologia pag. 30. inquit: *Ut ergo Angelici Doctoris mentem bene intelligas, & ejusdem discipulorum sententias bene capias, proderit legere quæ de hac materia RR. & eximius P. M. Hyacinthus Libelli, Vir eruditissimus, & ingeniosissimus, & inter ceteros Theologos Dominicanos Thomista severissimus Romæ dictavit. Inquirit ergo Dubio* 4. *Utrum cum scientia futurorum in Decreto Thomistico cohæreat libertas humanæ voluntatis*. Ubi Caramuel ex Libelli scriptis quinque, aut sex columnas refert. Quæ quidem laudati Libelli Tractatum de Attributis magni habitum, & ejus exempla passim distracta, & multiplicata ostendunt.

III. Por-

III. Porro præter Indicem vetitorum Librorum Libelli curis editum, cujus supra meminimus, prodiere etiam in lucem Romæ typis Manelphii anno MDCXLIV. *Theses ex cunctis Oecumenicis Conciliis, quæ ad Theologiam Scholasticam, Dogmaticam, & Moralem, necnon ad Philosophiam tam speculativam, quam moralem, & historiam pertinent, excerptæ, Urbano VIII. dicatæ in Comitiis generalissimis Ordinis Prædicatorum, pro Romana Provincia propugnatæ a F. Hyacintho Libelli Theologiæ Lectore, ac Prædicatore generali*. His addendum ejusdem *Votum de indemonstrabilitate immortalitatis animorum, scilicet non debuisse prohiberi impressionem thesis Scholasticæ, quod immortalitas animæ humanæ sit indemonstrabilis lumine naturæ*. Extat Romæ in celeberrima Casanatensi Bibliotheca cum Antonii Naldi tractatibus practicis ad varia Juris Pontificii loca, Romæ MDCXXXI. in 4. Inter Libelli Opera recensetur etiam a laudato Echard, *Cathalogus Scriptorum Ordinis summa diligentia accuratus*, cujus meminit Fontana, quemque Abbas Michael Justiniani sibi commendatum, recogniturum se, & editurum promiserat.

IV. Fuit haud dubie Libellus Vir summe doctus, nec in Theologia solum, sed in omni quoque scientiarum genere versatissimus, magnique iccirco habitus ab Alexandro Papa VII. a quo non modo institutus fuit Secretarius Sacræ Congregationis Indicis, verum etiam Magister Sacri Palatii, anno scilicet MDCLXIII. post Capisucci abdicationem, functusque est eo munere ad annum MDCLXXIII. quo Avenionensis Antistes renunciatus, eam Ecclesiam rexit ad annum usque MDCLXXXIV. quibusdam etiam annis Vicelegati ibidem munere functus. Libelli cum laude meminit inter alios Cavalierius in sua *Galleria*, Tomo I. pag. 645. Num. 169. ubi etiam ait, electum ipsum fuisse Archiepiscopum Avenionensem a laudato Clemente X. die XXX. Januarii prædicti anni MDCLXXIII. Teste Dionysio Sammarthano Tomo I. Galliæ Christianæ possessionem Ecclesiæ accepit Libellus die XXI. Februarii MDCLXXIII. Eo Antistite Clemens ipse X. concessit Canonicis illius Ecclesiæ usum

lineæ

lineæ tunicæ brevioris, quæ appellatur Rocchettum, & Cappæ magnæ coloris rubei per totum annum, quam antea in hyeme tantum gestabant a tempore quo Canonici statum Regularem deseruerunt. Anno MDCLXXIV. transtulit Corpus S. Benedicti, quo auctore pons extructus est super Rhodanum. Post XI. annos & menses VIII. obiit Avenione XXIII. Octobris MDCLXXXIV. sepultusque fuit in Sacello a se extructo propriis, & magnis sumtibus, dicato Christo Domino resurgenti.

## CAP. X.

### *De Fr. Vincentio Fano Viterbiensi.*

I. PRomoto F. Hyacintho Libello ad Sacri Palatii Magisterium, cui adversa sub Alexandro Papa VII. passus Fr. Raymundus Capisuccus, æmulorum ut iræ locum daret, sponte & grandi animo cesserat anno MDCLXIII. electus fuit ab eodem Alexandro Papa loco Libelli in Secretarium Congregationis Indicis anno MDCLXIV. die IV. Septembris Fr. Vincentius Fanus Viterbii natus, ibidemque in Conventu S. Mariæ ad gradus Prædicatorum Ordinem professus. Deinceps vero per solitos Scholæ agones Lauream Magisterii adeptus, quæ ipsi concessa fuit in Actis Capituli Generalis sui Ordinis Romæ anno MDCL. habitis. Allectus postea a Magistro Sacri Palatii F. Vincentio Candido in Socium, non exiguam ipsi operam navavit in hujus Officii negotiorum multitudine, uti scribit Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis sui Prædicatorum anno MDCLXX. pag. 638.

II. Sed audiamus quid in ms. antiquo Chronico Cœnobii Viterbiensis S. Mariæ ad Gradus a Fr. Hyacintho de Nobilibus ex aliis antiquioribus scripto usque ad annum MDCXV. atque a Patribus succedentibus continuato de ipso P. Vincentio Fano habetur: *F. Vincentius Fanus in seculo Petrus, nobilis genere, ineunte vix adolescentia Prædicatorum Institutum appetiit, & voti compos est factus, anno*

*anno namque* MDCXXX. *Nonis sextil. per R. Ad P. F. Ignatium Alberici Cœnobii Præsidem habitum Clericorum induit. Annum tunc agebat tertium supra decimum, qua ratione factum, ut triennio ferme peracto solemnia in professione vota emitteret xiij. Kal. Jun.* MDCXXXIII. *R. A. P. Sac. Theol. Mag. F. Thoma Mancino Bledano, tunc Vicario Cœnobii, ut ajunt, in capite. Peracto Religiosi Instituti tyrocinio adeo solertem operam in addiscendis humanis sacrisque litteris adhibuit, ut brevi cursu docendi munus acceperit, in quo mirum est, quantum & suo, & aliorum profectui studuerit. Quadragesimo ætatis anno vix expleto Præses in Cœnobio Gradensi electus Fratres suos per biennium tanta sui nominis laude rexit, ut æternum perseveret: grassante namque ferme per cunctas Italiæ Urbes dirissima lue, atque hoc Cœnobio ad ægrotantium curam Xenodochio constituto, recedentibus in diversa Fratribus ad tantam declinandam calamitatem, solus Vincentius Fanus ibidem stetit imperterritus, diu noctuque sacris exhortationibus ægrotantium firmabat animos, atque ceteris Ecclesiæ Sacramentis, & virtutum omnium exemplo ita reficiebat, ut omnibus omnia factus, animam pro suis proximis velle ponere videretur.*

III. Pergit Auctor continuationis prædicti Chronici, aitque, Fani religiosæ vitæ exercitationibus, atque eximiæ sapientiæ fama permotum Alexandrum Papam VII. acceptissimum illum habuisse, ejusque studio, & diligentiæ copiosissimi Indicis editionem commisisse. Ait præterea, ab eodem Pontifice Romam accersitum Fanum, motu proprio Sacræ Theologiæ Magistrum ultra numerum declaratum fuisse, quum eo tempore viginti tantum essent in Romana Provincia Magistri; deinde vero adlectum fuisse Sacræ Congregationis Indicis Secretarium. Porro die IV. Septembris anni MDCLXIV. ut dictum est, a laudato Alexandro fuisse Fanum eo honore insignitum, testatur memoratus Libellus in Actis Sacræ Congregationis Indicis a se exaratis, pag. 256. ubi ad annum MDCLXIV. sic inter alia scripsit: *Feria quinta, die quarta Septembris* MDCLXV.

(le-

(legendum MDCLXIV.) *Osculatus sum pedes Sanctissimi, eique gratias reddidi, quod me fecerit Magistrum Sacri Palatii Apostolici, traditumque mihi fuerit Breve expeditum 3. hujus*. Tum vero ita statim subjicit: *Sanctissimus Dominus mandavit primo publicari, se novum Secretarium Congregationis instituisse, eumque esse Reverendum admodum P. Magistrum Fratrem Vincentium Fanum Viterbiensem nostri Ordinis, Filium Conventus S. Mariæ ad Gradus de Viterbio, mihique jussit, ut ad eum scriberem, ut quamcitius Romam veniat, ni tamen calores nondum exactos pertimuerit*. Mandatum Pontificis ubi accepit Fanus, statim Viterbio profectum Romam fuisse, testantur eadem Acta, pag. 260. ubi ita legitur: *Incipiunt Acta Sacræ Indicis Congregationis Patre Magistro Fratre Vincentio Fano Secretario, qui die iv. Septemb.* MDCLXIV. *declaratus fuit a Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII. Secretarius hujus Sacræ Congregationis. Cumque ad præfatum P. Vincentium Fanum ex ordine Sanctissimi scripsisset Reverendissimus Pater Magister Frater Hiacintus Libellus, ut statim Romam peteret, obtemperans Sanctissimi Domini nostri mandato, die vi. ejusdem mensis, & anni fuit Romæ*.

IV. Post hæc, ut in eisdem Actis legitur, citata pag. 260. idem Fanus, qui certe hæc scripsit, *die viij. Nativitatis Sanctissimæ Deiparæ sacra accessit ad beatorum oscula pedum, & a Sanctitate sua benignissime acceptus est*. Tum mox: *Die xii. ejusdem mensis, & anni Reverendissimus Pater Magister Frater Hiacintus Libellus discessit e Conventu Minervæ Palatium Apostolicum dein habitaturus, Patrique Secretario claves camerarum, quas habitaverat, consignavit*. Tandem vero ita Scriptor subdit: *Die xvii. ejusdem mensis obtinuit Pater Secretarius solitum Breve pro Indicis Secretaria, & alterum, in quo Sanctitas sua concedit locum Patri Secretario immediate post Ordinis Generalem Procuratorem tam in Choro, quam in Refectorio, & reliquis locis, & functionibus, sicut concessum fuerat suis Prædecessoribus Reverendissimo Ca-*

*pisucco, & Reverendissimo Libello*. Videri possunt memoratorum Brevium formulæ supra Lib. I. Cap. XIX. & XX.

V. Secretarium Congregationis Indicis agente Fano tum ab eo typis datus est, novaque forma, nempe alphabetica non servata, quæ alias, classium distinctione, Index Librorum prohibitorum Romæ ex typographia Vaticana anno MDCLXV. in 8. iterumque ibidem auctus anno MDCLXX. etiam in 8. Cæterum, ut ex Regesto Sacræ Congregationis Indicis habetur, cum die II. Julii MDCLXXII. Idem Fanus *humiliter supplicaverit Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ X. ut posset dimittere munus Secretarii, Sanctissimus benigne annuit, & nihilominus concessit, ac voluit, ut omnibus deinceps gratiis, ac privilegiis gauderet, quibus potiri solent Secretarii, tam quoad locum in ordine, quam quoad socium, & remaneret cum prærogativa Familiaris Sedis Apostolicæ, ac si Officio Secretarii adhuc fungeretur*.

## C A P. XI.

### *De Fr. Thoma Camotto Pedemontano.*

I. RElicto, & quidem sponte, anno MDCLXXII. ut præcedenti Capite dictum est, a Fr. Vincentio Fano Secretarii Congregationis Indicis munere, suffectus mox in ejus est locum a Clemente Papa X. eodem anno die VI. Julii, Pater Magister Fr. Thomas Camottus Pedemontanus Minervitani Cœnobii alumnus, ubi peractis Philosophiæ, & Theologiæ studiis, Philosophiam ibidem multos per annos legit, officium Magistri studentium, ut ajunt, exercuit, publicas theses in Capitulo generali Ordinis sui propugnavit, & Verbum Dei in præcipuis Ecclesiis multorum annorum spatio, summo audientium plausu prædicavit. Horum meritorum intuitu primo Prædicator Generalis cum suffragio perpetuo in Capitulis provincialibus institutus est, tum Magisterii in Sacra Theologia gradu in Capitulo Generali Ordinis anno MDCLXIV. celebrato decora-

coratus fuit, & Inquisitor Generalis contra hæreticam pravitatem Augustæ Taurinorum auctoritate Apostolica deputatus, per tredecim annos in eo munere strenue laboravit. Tandem a Clemente X. die VI. Julii anno MDCLXXII. Secretarius Sacræ Congregationis Indicis institutus, munus illud per quatuor annos summa fide ac diligentia exercuit, obiitque Romæ die XIX. Maji anno MDCLXXVI.

II. Porro quum Secretarii Indicis munere fungeretur Camottus, ut ipse testatur in Actis Congregationis Indicis die XIX. mensis Decembris MDCLXXIII. obtinuit *a Clemente X. Breve in favorem Regularium inservientium eidem Congregationi in Officio Consultorum; virtute cujus Brevis corroboratur, & confirmatur Decretum olim emanatum ab Alexandro VII. in favorem eorundem Consultorum, quo Decreto ordinatum fuerat, quod Superiores Regulares non possent removere ab Urbe Consultores hujus Congregationis, etsi eorum potestati alias subjectos, absque licentia expressa ejusdem Congregationis*. Docent mox eadem Acta, ea re audita, Eminentissimos Patres commendasse diligentiam prædicti Secretarii, *cui imposuerunt, ut omnia in dicto Brevi contenta exequutioni demandari satagat, nec permittat eisdem Consultoribus ab Urbe discedere, extra illam diu commoraturi, etiamsi non inviti, sed sponte hoc facere velint, absque eo quod prius petant, & obtineant licentiam ab eadem Congregatione*. Sed de hac re extat novum Decretum editum a sanctæ memoriæ Benedicto Papa XIII. quod nos supra Lib. I. descripsimus, Cap. XVI. quod quidem multa continet, quæ ipsos Consultores Sacræ Congregationis Indicis spectat, ac Privilegia eisdem a superioribus Pontificibus concessa.

III. Doctrina æque ac prudentia eximia præditum fuisse Camottum, eadem Acta nos docent, nam cum nova instauranda esset editio Indicis Librorum vetitorum, Cardinales Congregationis eidem hanc provinciam dederunt, ejusque consilium probarunt, omittendi scilicet in hac editione trinam illam classium distinctionem, quæ jam in postremis editionibus prætermissa fuerat tanquam inutilis.

## CAP. XII.

*De Fr. Jacobo Riccio Romano, postea Procuratore Generali Ordinis Prædicatorum.*

I. Vita functo Fr. Thoma Camotto die XIX. Maji anni MDCLXXVI. Clemens X. die XXI. Maji ejusdem anni Secretarium Congregationis Indicis creavit P. Magistrum F. Jacobum Riccium nobilem Romanum, ac Virum pietate, doctrina, disciplina Regulari, rerum agendarum peritia, morumque suavitate commendatissimum. Docendi munere diu recteque perfunctus, & Magisterii laurea a Reverendissimo Patre Joanne Baptista de Marinis Generali Ordinis Præsule decoratus, Examinator Cleri in Urbe a Cardinali Genetto Urbis Vicario designatus est anno MDCLXVIII. Tum rogante Francisco Cardinale Barberino, ab eodem Generali Magistro jussus est Theologiam tradere juvenibus Clericis Congregationis Oratorii Sanctæ Mariæ in Vallicella, quod quidem naviter, & egregie præstitit, eandemque Congregationem eximio semper studio prosequutus est. Viget & hodie hic mos, ut ipsius Oratorii adolescentes Sacram Theologiam Dominicanus Lector doceat ab Ordinis Magistro electus.

II. Teste Jacobo Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum anno MDCCIII. pag. 762. *electus Romanæ suæ Provinciæ Prior Provincialis auctoritate Summi Ponmi Pontificis Innocentii XI. quadriennium contra morem istud Officium gessit ab anno* MDCLXXIX. *ad* MDCLXXXIII. Addit tum etiam laudatus Auctor, anno demum MDCLXXXIV. Procuratorem Generalem Ordinis *in Aula* Romana *a Magistro Ordinis Antonio de Monroy* positum fuisse memoratum Riccium, in eaque provincia mortuum esse anno MDCCIII. Sed forte labitur Echard, legi etenim in ms. Codice, qui Secretarios Congregationis Indicis recenset, creatum fuisse Riccium Procuratorem Ordinis sui Generalem a laudato sanctæ memoriæ Pontifice Innocentio XI. per Pontificium Breve datum die XII. mensis Aprilis anno MDCLXXXIV.

MDCLXXXIV. Promoto siquidem ad Metropolitanam Ecclesiam Barensem Fr. Thoma Maria Ruffo Neapolitano, qui Procurator erat Generalis memorati Ordinis, laudatus Innocentius Riccium in illius locum & munus motu proprio, ut ajunt, constituit, ac suffecit. Annis XVII. publici Theologiæ Professoris munus in Romana Sapientia per se ipsum exercuit, tandemque ætate, ac laboribus confectus, Vir candidi & antiqui moris, simplicitatis Evangelicæ, ac severioris observantiæ amantissimus, magna cum opinione virtutis Romæ decessit in Cœnobio Minervitano, cujus erat filius, anno MDCCIII. die IX. mensis Augusti.

III. Fuit Riccius Vir summæ pietatis, eumque inter alios laudat Cavalierius in sua *Galleria* ob recusatum ab eo Episcopatum Vigiliensem in Apulia, quem illi ultro obtulerat anno MDCLXIV. Alexander Papa VII. Procuratoris Generalis officio fungens, cum Fratres Ordinis sui Prædicatorum, qui in suis Conventibus juxta antiquam ejusdem Ordinis consuetudinem plures campanas habebant, litibus, atque contentionibus vexarentur, & in variis mundi partibus ad varia Tribunalia distraherentur, Pontificium Diploma a laudato Innocentio XI. obtinuit, quo plures campanas in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum esse posse declaravit. Datum est Breve die XII. mensis Februarii anno MDCLXXXI. legiturque in Bullario Dominicano Tom. VI. pag. 367. & seq. Varia Riccii Opera recensent Cavalerius citato loco, Prosper Mandosius in Bibliotheca Romana, & Oldoinus in Athenæo Romano. Teste clarissimo Jacobo Echard hæc ejus Opera.

1. *Vita di S. Filippo Neri Fiorentino Fondatore della Congregazione dell'Oratorio, scritta già dal P. Pietro Bacci, hor'accresciuta di molti fatti, e detti dell'istesso Santo, con l'aggiunta d'una breve notizia di alcuni suoi Compagni*, Romæ MDLXXII. in 4. Laudant & hanc Vitam Editores Actorum Sanctorum Tomo VI. Maji ad diem XXVI.

2. *Epitome singularium gestorum S. Ludovici Bertrandi Valentini Ordinis Prædicatorum*, suppresso nomine Auctoris, Romæ MDCLXXI. in 4.

3. *Bre-*

3. *Brevis instructio pro iis, qui promovendi sunt ad animarum curam ex jure Canonico, Concilio Tridentino, Catechismo, Rituali Romano, D. Thoma, & præcipue antiquioribus Theologis.* Opus exaratum prælo paratum ms. vidit memoratus Mandosius apud Auctorem.

4. *Index Librorum prohibitorum auctior, & accuratior.* Romæ typis Cameræ MDCLXXXI. in 8.

IV. Quanta diligentia Indicem ipsum exaraverit Riccius, jam ipse satis declaravit in Præfatione sua ad Lectorem, ubi ita ait: *Cum Librorum prohibitorum numerus Auctorum, id exigente malitia, vel negligentia, multum excreverit, visum est novum Indicem edere auctiorem, & accuratiorem; quo nimirum Libri omnes hucusque confixi & vetiti contineantur, & facta collatione cum Apostolicis Decretis, Auctoribus ipsis vera nomina, vel cognomina pluribus in locis restituantur. Quæ Deo dante, non levi labore præstitimus. Nunc vero Sanctissimi Nostri Papæ Innocentii XI. jussu Indicem absolutum damus; hoc tantummodo monentes, Auctoribus primæ Classis, qui, aut hæretici, aut hæresis nota suspecti fuerunt, eorumque scripta non edita solum, sed etiam edenda interdicuntur; notam primæ Classis apponi tuæ, Lector, commoditati, studiosis quoque multis idem optantibus. Vale.*

## C A P. XIII.

### *De P. Julio Maria Bianchi Veneto.*

I. PRomoto in Generalem Ordinis sui Procuratorem P. Jacobo Riccio, creatus est mox ab Innocentio Papa XI. anno MDCLXXXIV. die XV. Aprilis Pater Magister F. Julius Maria Bianchi ex prænobili in Regno Boxinæ Familia, quæ a Turcis capto eodem Regno Venetias migravit, Patre Veneto, qui apud Poloniæ Regem pro Serenissima Venetorum Republica Consulem agebat, Cracoviæ natus est, uti nos docent mss. monumenta illius Familiæ, quæ in Cœnobio Minervitano servantur, non vero Ve-

Venetiis, ut scribit Echard Tomo II. Scriptorum sui Ordinis anno MDCCL. pag. 776. Adolescens in Cœnobio Sanctorum Joannis & Pauli Ordinem Prædicatorum professus, in Hispaniam studiorum causa missus est, ut ejus Vitæ seriem enarrat Echard loco citato. Ergo Salmanticæ, & Compluti exactis Philosophiæ, Theologiæque studiis, nondum in Sacris constitutus, a Magistro Ordinis datus est Magister artium, quas triennium docuit.

II. Ad suos reversus Venetos, tale dedit eruditionis apud Hispanos a se comparatæ specimen, ut a Superioribus selectus fuerit, qui Romæ in Comitiis Ordinis generalibus anni MDCCL. pro sua Venetiarum Provincia universæ doctrinæ Thomisticæ conclusiones propugnaret. Id vero cum egregie præstitisset, nondum trigesimum ætatis suæ annum assequutus, Magister promotus est, & Neapolitani S. Thomæ Gymnasii Regens institutus. At ob grassantem tum in Regno pestem, eo accedere prohibitus, Romam revocatus est, ubi in Cœnobio Minervitano Baccalaureum egit octennium solidum. Hinc Summis Pontificibus gratus & acceptus, ab eisdem familiaris adscitus est, ac Sacrarum Congregationum Consultor positus, a Clemente IX. Congregationis Indicis, a Clemente X. Sacrorum Rituum, & Reliquiarum, ac Indulgentiarum, ab Innocentio XI. Sapientiæ, quæ Gymnasium est Romanum publicum, Professor; de quo, sicut & de aliis multis ex inclyto Prædicatorum Ordine insignibus Theologis ad ipsius Universitatis Cathedras promotis fuse & erudite disserit Amicus noster Vir Clarissimus Josephus Carafa in celebri Opere a nullo hactenus tentato, quod inscripsit, *De Gymnasio Romano ab Urbe condita ad hæc usque tempora*, ubi varios ejusdem Professores recenset, quodque nos, mandante Reverendissimo Patre Sacri Palatii Apostolici Magistro, atente legimus, probavimusque.

III. Denique post recusatos pluries Episcopatus sibi a Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. oblatos, ab eorum altero Secretarius Sacræ Congregationis Indicis Jacobo Riccio Procuratori Ordinis Generali in-

instituto suffectus est anno MDCLXXXIV. eoque munere cum summa omnium approbatione functus est ad mortem usque, quam longævus venientem lætus aspexit anno MDCCVII. non vero MDCCX. uti per errorem scripsit Echard loco citato. Videri & de eodem potest Cavalierius in *Galleria* Tomo II. pag. 142. Num. 25. ubi inter alia Episcopatuum ab ipso recusatorum mentionem facit. Obiter dicam hoc loco, tametsi multi apud Scriptores recenseantur Antistites ex Ordine Prædicatorum assumti, longe plures eos numero esse, qui sibi oblatos Episcopatus præ humilitate constantissime recusarunt, ut vel hinc addiscere liceat, quam alienus ab ambitu sit laudatus Ordo Prædicatorum.

## C A P. XIV.

### *De F. Gregorio Selleri Perusino, postea Sacri Palatii Magistro, & deinde S. R. E. Cardinali.*

I. DEfuncto in bona senectute anno MDCCVII. Julio Maria Bianchi, eodem anno die XII. Februarii institutus est Secretarius Sacræ Congregationis Indicis a Clemente Papa XI. Pater Magister F. Gregorius Selleri. Eximias Religiosissimi hujus Viri dotes expertus laudatus Pontifex, illum dum in Cœnobio Minervitano Cachedratici Casanatensis munere fungebatur, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium instituit, ac deinde anno MDCCXI. Sacri Palatii Magistrum renunciavit, quodque majoris æstimationis indicium est, eundem conscientiæ suæ Rectorem sibi adscivit, & usque ad extremam vitæ suæ periodum habere voluit, ut jam notavimus in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. II. Cap. LXVI. ex quo lubet & alia describere, ne quid in præsenti Opere desideretur de eodem Viro, qui Sacræ Indicis Congregationis Secretarius fuit.

III. Scripsit Gregorius varios Tomos in celeberrimam Constitutionem, *Unigenitus*, quam laudatus Pontifex edidit; tum vero tandem, ut notavit doctissimus Bre-

Bremond Tomo VI. Bullarii Dominicani in Appendice ad Constitutiones Benedicti Papæ XIII. pag. 704. ab eodem Pontifice *ex Magistro Sacri Palatii Apostolici S.R.E. Cardinalis Tituli S.Augustini renunciatus est die xxx. Aprilis MDCCXXVII. Unus fuit ex illis septem, quos Summus Pontifex in pectore reservaverat anno MDCCXXVI. die ix. Decembris*. Legenda apud eundem Bremond Concio a memorato Pontifice habita in Consistorio secreto, ubi septem ipsos Cardinales creavit, sed operæ pretium duxi encyclicam epistolam describere, quam de ejus obitu scripsit ad universum Prædicatorum Ordinem Reverendissimus Pater Fr. Thomas Ripoll ejusdem Ordinis Generalis Magister, in qua in compendio virtutes, ac gesta insignia ipsius Cardinalis recenset, qui quidem, ut idem laudatus Bremond citato loco pag. 705. adnotavit, *mortuus est anno MDCCXXIX. die xxxi. Maii, hora iv. hinc in ipsius Epitaphio*, quod nos inferius referemus, *mortuus dicitur die xxx. Maii*. Cæterum memorata encyclica Epistola est hujus tenoris.

*In Dei Filio sibi dilectis R.R. Patribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum Fr. Thomas Ripoll Sacræ Theologiæ Professor, ac ejusdem totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.*

*Salutem, pias lacrymas,*
*& salutarem mortis recordationem.*

*Ingentem dolorem, quem vos nobiscum suscepisse non dubitamus, ubi primum, vel ipso rumore publico nunciante, Eminentissimum, ac Reverendissimum S.R.E. Presbyterum Cardinalem Fratrem Gregorium Selleri decessisse audivistis, acerbius hodie renovare cogimur, Fratres in Christo dilectissimi, cum hunc ipsum luctuosissimum nuncium vobis per præsentes de more communicamus. Nec sane parum nobis dolendum est, quod talem ac tantum amiserimus Virum, qui suarum fulgore virtutum, universum Ordinem nostrum, quem professus fuerat, feliciter illustrabat, quodque lucernam istam splendidissimam anno proxime præterito super Candelabrum, ut omnibus præluce-*

*ret, collatam, tam brevi tempore, & nimia profectò celeritate penitus extinctam suspiciamus. Novistis vos, noverunt omnes, quibus ipse dotibus ornabatur, qua pietate, qua doctrina, qua denique humanitate præfulgebat. Eximias has Religiosissimi Viri dotes, quibus omnium animos, & corda in sui amorem, ac venerationem rapiebat, satis superque perspectas, longoque experimento probatas habuit Sanctissimus D. felicis recordationis Clemens Papa XI. quamobrem iisdem permotus, illum, dum in hoc nostro Conventu S. Mariæ super Minervam Cathedratici Casanatensis munere summa cum laude fungebatur, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium instituit. Dein vero Sacri Palatii Apostolici Magistrum renunciavit, quodque majoris æstimationis indicium est, eundem conscientiæ Rectorem sibi adscivit, & usque ad extremam vitæ suæ periodum habere voluit. In his omnibus, & quidem gravibus muneribus, quæ per plures annos laudabiliter exercuit, pulcherrima semper justitiæ, prudentiæ, & dexteritatis præbuit argumenta, dignitatem cum modestia, benignitatem cum æquitate ita conjungens, ut ad omnem virtutis rationem efformatus videretur. Tot itaque meritis cumulatum, atque omnium sermone celebratum SS. D. N. Benedictus XIII. Ordinis nostri, quem profitetur, amantissimus, Sacro Cardinalium Collegio cooptavit, ut scilicet virtutes ejus in eminentiori loco constitutæ clarius eniterent. Verum invida mors nobis eum statim eripuit, & quidem dum plures adhuc annos victurum, prout in votis erat, pro certo haberemus. Nondum siquidem expleto anno, quo palam evulgatus, & declaratus fuerat Cardinalis, gravi morbo correptus, eodemque per duos integros menses vexatus, perceptis Ecclesiæ Sacramentis, tota mærente Urbe, animam Deo reddidit die trigesima Maji proxime elapsi, annos natus septuaginta quatuor, menses decem, dies decem, & novem.*

*Gravissimam hanc nostri Ordinis jacturam impensissime deflendam esse, nemo non agnoscit, Fratres dilectissimi. Verum quia juxta monitum Apostoli, non debemus contristari*

de

*de dormientibus, sicut & ceteri, qui spem non habent, ea consideratione mœror noster levandus est, qua Cœlo donatum esse speremus. Id profectò sperare nos jubet defuncti Cardinalis pietas, ac morum integritas, quam nulla seræ posteritatis extinguet oblivio; jubet mira ejus constantia, qua tanta morbi acerbitate, & diuturnitate afflictus serena fronte mortem adspexit; jubet denique heroicus illius rerum omnium humanarum contemptus, quem jam morti proximus nobis explicuit, dum verba illa Job sæpius repetens,* Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar, *professionis suæ non immemor, quidquid domesticæ suppellectilis reliquum esse posset, totum arbitrio nostro disponendum commisit. Quamvis autem fiduciam hanc maximam nobis faciant tot egregiæ virtutes, quas ipse dum viveret diligenter excolere non prætermisit, nihilominus si qua adhuc superesset macula piacularibus flammis eluenda, æquum est, ut suffragiis nostris eidem æterna gaudia quantocius comparemus.*

II. Hinc mox mandat omnibus & singulis Conventuum Superioribus, ut pro ipso Cardinale defuncto solemnes exequias cum Missa, & Officio Defunctorum absque cunctatione persolvant; & insuper, ut per universum Ordinem quilibet Sacerdos pro ejusdem anima unam Missam celebrare, ceteri vero Fratres unam partem Rosarii recitare teneantur; id quod etiam Monialibus curæ suæ subjectis injungit. Est plane antiquus, & laudabilis mos in Ordine Prædicatorum servatus, ut Generales ejusdem Magistri non modo obitum illustrium Religiosorum, & summorum Principum de ipso Ordine optime meritorum subditis nuncient, verum & alia, quæ decorem Religionis spectant. Sed his omissis, legitur ipsa encyclica Epistola de obitu Religiosissimi S.R.E Cardinalis Selleri in citato Bullario pag.704. & seqq. ubi etiam Auctor notat sepultum ipsum Cardinalem Selleri in Choro Cœnobii S. Mariæ supra Minervam, ubi hoc Epitaphium extat marmoreo lapidi incisum, quod & nos, ut de aliis fecimus, nostra manu descripsimus, estque hujusmodi.

D. O. M.
FR. GREGORII SELLERI PERVSINI ORD. PRÆD.
CASANATENSIS CATHREDATICI
SAC. CONGR. INDICIS SECRETARII
PALATII APOSTOLICI MAGISTRI
CLEMENTI XI. A CONFESSIONIBVS
INNOCENTIO XIII. ACCEPTISSIMI
BENEDICTO XIII.
EIVSDEM ORDINIS PROMOVENTE
TIT. S. AVGVSTINI PRÆSBYTERI CARDINALIS
MORIBVS ET DOCTRINA SPECTABILIS
CINERIBVS
RESSVRRECTIONEM FVTVRAM IVSTORVM
EXSPECTANTIBVS
PATRES CONVENTVS S. DOMINICI DE PERVSIO
MOERENTES ET GRATI PP.
VIXIT ANN. LXXIV. NENS. X. DI. XIX.
OBIIT XXX. MAII MDCCXXIX.

## C A P. XV.

### *De Fr. Augustino Pipia Sardo, postea Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, & deinde S.R.E. Cardinali.*

I. AD Magisterium Sacri Palatii evecto Fratre Gregorio Selleri anno MDCCXI. a Clemente Papa XI. ab eodem Pontifice in Secretarii Indicis locum, quo Gregorius fungebatur, suffectus est eodem anno die XII. Maji Fr. Augustinus Pipia natione Sardus, Alumnus Majoricensis Cœnobii, de quo sic, ubi obiit, inter alia scripsit in sua encyclica Epistola ad universum Ordinem Generalis ejusdem Magister Fr. Thomas Ripoll: *Effulserat quidem probitate morum, & doctrinæ præstantia Vir iste omni seculo commendabilis, dum primo Regens fuerat hujus nostri Collegii Minervitani, postea Theologus Casanatensis, deinde Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, postremo totius Ordinis Magister Generalis. In obeundis namque hu-*

*hujusmodi muneribus non modicam sibi, Provinciæ suæ Aragoniæ, atque universo Ordini gloriam comparavit.* Certe summa illa fuit Pipiæ gloria, quum, dum esset Collegii Casanatensis Theologus, a Clemente XI. Pontifice sapientissimo delectus fuit inter cæteros Viros doctrina præstantes, ut denunciatas ab Episcopis Galliarum centum & unam propositiones Paschasii Quesnelli ad examen vocaret, in easque censuram Theologicam ferret, quod ille præstitit summa fide, doctrina, & diligentia, meruitque idcirco, ut ab eodem Pontifice ad Secretarii Congregationis Indicis munus assumeretur. Ejus quoque judicio subjectum fuit insigne Opus Theologicum P. Le Fontaine Societatis Jesu in Constitutionem *Unigenitus*, ut constat ex ipsius approbatione, & censura eidem Operi præfixa, dum Secretarii Indicis munere fungeretur.

II. Ex Secretario Indicis promotus Pipia ad supremum sui Ordinis Magisterium, summo zelo, ac prudentia Ordinem rexit, justitiæque cultor eximius, illos dumtaxat ad ejusdem Ordinis gradus promovit, qui vere docti erant, adeoque in eam rem rigidus fuit, ut etiam qui doctrina pollerent, examini, cui ille præerat, se se exponere timerent. Multos novi, qui, licet diu in Cœnobiis insignioribus magno cum plausu Theologiam docuissent, noluerint tamen Romam venire, & examen pro obtinendis gradibus subire. Regulares Ordines, ac præsertim inclytam Societatem Jesu dilexit semper Pipia quammaxime, curavitque diligentissime, decessorum suorum morem sequutus, ne inter sui Ordinis, ac ipsius Societatis alumnos ulla esset dissensio, aut discordiæ occasio. Atque hanc regulam tenuit S. Ignatius Jesuitarum Parens amplissimus, quippequi, ut scribit elegantissimus Maffeius in illius Vita Lib. III. Cap. IX. *pacem & concordiam (quoad officium, & Dei gloriam pateretur) non modo cum suis, verum etiam cum alienis omni cura studioque retinuit semper, & cavit, ne, aut per se, aut per suos facto dictove quemquam offenderet.* Dignum plane notatu est illud quod mox idem Maffeius subdit: *Cum Martinus Olavius*, inquit, *qui Col-*

*Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti Vir ingenio, doctrinaque, thefes aliquot de more propofuiffet, in quibus erat caput de Immaculato, ut appellant, Conceptu Beatæ Virginis, licet ea de re Ignatius pro fua egregia in Deum, & Virginem pietate minime dubitaret, tamen ne Fratres Dominicani, qui ad difputationem invitabantur, id ægre ferrent, feque nominatim provocari putarent (contrariam enim fententiam auctore D. Thoma tuentur eorum plerique) eam thefim, quamquam ingemifcente Olavio, induci, tollique omnino imperavit.*

III. Sed ut ad Pipiam redeamus, felix certe fuit illius fors, ubi in fupremo Ordinis Prædicatorum Magifterio conftitutus vidit unum ex alumnis ejufdem Ordinis Fr. Vincentium Mariam Cardinalem Urfinum ad Summi Pontificatus apicem evectum, qui fuit Benedictus XIII. qui etiam tanti fecit Pipiam, ut fuis ad omnes Fratres Ordinis Prædicatorum datis Litteris die VI. menfis Novembris anno MDCCXXIV. adverfus calumnias Doctrinæ SS. Auguftini, & Thomæ perperam intentatas, quæ legi poffunt Tomo VI. Bullarii Dominicani, pag. 545. & feq. Auguftinum Pipiam Ordinis Prædicatorum Magiftrum Generalem appellarit *religiofæ vitæ exemplis, ac doctrina, prudentiaque commendatiffimum*. Sed audienda potiffimum eft ejufdem Pontificis Alloquutio ad Cardinales, ubi XX. Decembris anno MDCCXXIV. laudatum Pipiam ad Cardinalatum promovit: *Æquum infuper cenfemus*, inquit, *Venerabiles Fratres, ut Ordini Fratrum Prædicatorum de Apoftolica Sede, & Catholica Fide luculentiffime merito, quem non expreffe, Domino miferante, profeffi fumus, gratum etiam animum congruo aliquo Pontificiæ largitatis argumento exhibeamus. Cum enim ipfi tantum facræ Religioni ut alias ingenue vobis teftati fumus, acceptam referamus Cardinalatus dignitatem, quia nullis noftris, fed præclaræ Matris ornati meritis, & veftibus decorati fuimus reftitutioni quodammodo jure obftricti, prædictæ Religionis Magiftrum Generalem eadem dignitate donare cogitamus*

*mus: vestro quoque decori prospicere hoc pacto existimantes ut scilicet qui praeclarum hunc, ac sublimem obtinebit locum, eum vestro gradui, meritorum splendore, scientiarum praesertim Theologicarum condimento, ac religiosarum virtutum odore conciliet honorem, quem defectuum nostrorum multitudine a planta pedis usque ad verticem capitis operti tribuere non potuimus; imo, utinam verum non loqueremur, nimium obscuravimus. Ad majorem &c.* Hactenus Benedicti XIII. Pontificis Maximi Alloquutio ad Cardinales, ubi Pipiam ipsorum Collegio cooptavit, in qua non modo Pipiae doctrina, aliaeque religiosae virtutes elucent, verum etiam summa laudati Pontificis humilitas, qui quum esset omnium virtutum genere praeditus, & Sacro Cardinalium Collegio multum decoris, & ornamenti attulisset, asserere palam omnibus voluit, se eam dignitatem obscurasse, quam alias reluctans, & Pontificio Clementis X. praecepto adactus suscepit. Quamobrem de eodem Benedicto XIII. qui & ad ipsum Summi Pontificatus apicem prae humilitate, quam & in ipso Pontificatu semper retinuit, & variis argumentis notam omnibus fecit, reluctans evectus est, dici illud elogium potest, quod legitur apud Claudianum Poetam his versibus.

. . . . . *Cui se Purpura supplex*
*Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

IV. Eximias Augustini Pipiae virtutes tunc potissimum emicare coepisse, cum a laudato Pontifice Benedicto XIII. in eminenti loco constitutae fuerunt, notavit jam in memorata encyclica epistola, quam de illius obitu ad universum Praedicatorum Ordinem scripsit, religiosimus Generalis ejusdem Magister Fr. Thomas Ripoll, sic inter alia de eo inquiens: *Sacro Cardinalium Collegio cooptatus, mirum est, quanto in pretio fuerit apud omnes, & quam merito ab omnibus amaretur. Honesti, rectique tenax, atque animum gerens a qualibet assentatione alienissimum, sive in ferendis judiciis, sive in tractandis gravioribus Sanctae Sedis negotiis, quanto polleret ingenio, dexteritate, atque prudentia, quantoque arderet zelo justitiae,*

*non*

*non obscuris indiciis comprobavit. Carus proinde, & acceptissimus summis æque, ac infimis, ab omnibus uno ore commendabatur*. Porro, ut alios omittam, plurimi Cardinalem Pipiam fecit sapientissimus Sardiniæ Rex, qui eidem, quod summa prudentia, & fide, atque integritate præditus esset, ardua Regni sui negotia apud Apostolicam Sedem tractanda commisit. Multum ei debet Ordo Prædicatorum, cujus aliquando, uti superius dictum est, supremus Moderator fuit. Ipse etenim Litteras Apostolicas a Benedicto XIII. Pontifice obtinuit in commendationem Doctrinæ duorum insignium Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis adversus calumnias malevolorum, qui prætextu confodiendi Jansenianos errores, Doctrinam ipsam perperam convellebant.

V. Obiit tandem Pipia die XXI. Mensis Februari anno MDCCXXX. vixitque annos LXIX. Menses IV. dies XX. ut videre est in Tomo VI. Bullarii Dominicani in Appendice ad Constitutiones Benedicti XIII. pag. 702. ubi etiam extat citata Epistola encyclica de ejus obitu, & epitaphium marmoreo lapidi incisum ad gradus Sacelli S. Dominici in Ecclesia S.Mariæ ad Minervam, ubi fuit sepultus, & est hujusmodi.

D. O. M.

FR. AVGVSTINO PIPIA NATIONE SARDO ORD. PRÆD.
S. CONG. INDICIS SECRET. TOT. ORD. MAGISTRO GEN.
S. R. E. HVIVS TEMPLI TIT. PRESB. CARD.
ET AVXIMANÆ ECCLESIÆ ANTISTITI.
QVI EA DIMISSA ROMÆ OBIIT
XXI. FEBRVAR. MDCCXXX. ÆT. SVÆ LXIX.
ET IN PROX. COMMVNI FR. SEPVLCHRO
TVMVLARI VOLVIT
NE TANTI VIRI IN THEOLOGICA SCIA
VERSATISS. RELIGIONE PRVDENTIA
CÆTERISQVE VIRTVTIBVS PRÆCLARI
MEMORIA PERIRET
FR. HVIVS CONVENTVS. S. DOMINICI
MAIORICEN. S. MARTINI
ARBOREN HÆREDES P.P.

CAP.

## CAP. XVI.

### *De Fr. Dominico Perez Matritensi.*

I. AUguftino Pipia promoto ad fupremum fui Prædicatorum Ordinis regimen anno MDCCXXI. eodem anno die IV. Julii ab Innocentio XIII. electus fuit in Secretarium Sacræ Congregationis Indicis P. Magifter F. Dominicus Perez Hifpanus, Conventus S. Thomæ Matriti alumnus. Fuit Perez Vir ingenii plane admirabilis, & eximiæ eruditionis cum fingulari pietate, ac religione conjunctæ. Abfoluto in Salmanticenfi Univerfitate ftudiorum curriculo, in infignioribus Hifpaniæ Scholis diu Philofophiæ, ac Theologiæ Cathedras, primariam vero Complutenfem quindecim & amplius annos moderatus eft. Mentis acumine, memoriæ felicitate, ac differendi vi adeo præftabat, ut de ipfo dicere foleret Pater Ramirez Societatis Jefu: *Nos omnes vel junctim Patri Perez, licet foret fe minor, impares longe fumus*. Matriti autem vulgo, atque antonomaftice appellabatur *efpanta Madrid*, ideft, *teror Matriti*. Vehementer enim tonabat, fulgurabat, fulminabatque, five e facro fuggeftu concionem ad populum ad eum audiendum confluentem haberet, five in litteraria Paleftra difputaret.

II. A Carolo II. Hifpaniarum Rege, quamvis per ætatem immaturus jam tunc videretur, in Aulam Regiam vocatus, Regius Concionator inftitutus eft. Mortuo Carolo II. excitato bello, fequutus partes Caroli VI. Auftriaci Imperatoris ex Hifpania Viennam Auftriæ profectus, eidem a facris Concionibus fuit, magnoque omnium plaufu auditus eft. Rara, & ingenua fuit erga amicos fide; fermo illi candidus, & ab omni fuco, ac fimulatione alienus; fumma in publicis privatifque rebus dexteritas, ac prudentia, quibus egregiis animi dotibus in memorati Catholici Regis Caroli II. & Imperatoris Caroli VI. Aulis omnium Optimatum animos ita fibi conciliavit, ut ejus fententiæ & confilia velut oracula exciperentur. Hinc oblati illi non

semel Episcopatus quos tamen semper constantissime recusavit; perhorrescebat enim onus ipsum Episcopale, quod sciret onus esse vel Angelicis humeris formidandum.

II. Aulæ pertæsus, ac Vienna discedens in Italiam venit, munusque Fidei quæsitoris, quod Religiosi sui Dominicani Instituti proprium esset, in Civitate, & ditione Firmana non invitus admisit, & summo zelo, vigilantia, prudentiaque aliquando exercuit. Sed paulo post a Clemente XI. æquissimo virtutis æstimatore ad Urbem accersitus, atque humanissime exceptus in Examinatorum Synodalium cœtum cooptatus est; ab Innocentio vero XIII. Sacræ Indicis Congregationis Secretarius renunciatus, anno scilicet MDCCXXI. die IV. Julii. Eo in munere constitutus Perez etsi chiragra, ac podagra acerrime conflictaretur, magnam sibi apud omnes absolutissimi Viri existimationem comparavit, ad eumque consiliorum causa, quæ plurimi apud omnes fiebant, Præsules, & Cardinales ipsi confluebant. Testatur id quidem eruditus Augustinus Quiros ejusdem Dominicani Instituti alumnus in Oratione Funebri, quam in ipsius Perezii laudem in Templo S. Mariæ super Minervam habuit: *At quis*, inquit, *referre unquam potest, quam ingens omnium animos cupido incesserat videndi cominus, & ingenium cognoscendi, de quo tam multa, tam præclara omnium sermone afferebantur. Dominicus autem Perez, sive in privatis eruditorum colloquiis de re litteraria sermo esset, sive in Scholasticorum arenam descenderetur, sive in Congregationibus de Librorum judicio, seu de aliis rebus agendum erat, magna ubique ejus doctrina, admirabile ingenii acumen, alta in consiliis dirigendis prudentia, eminebat. Quapropter his ille ornamentis ita sibi bonorum, ac eruditorum omnium animos, voluntatesque devinxerat, ut licet ex ejus temperatione corporis sperare haud possent diu se illius virtute fruituros, cuperent tamen omnes annis suis illius vitam prorogare. Quin & sæpius Eminentissimi Cardinales ipsum adibant, præsentia dignabantur, & opportuna, quæ ipsis suppeditabat in rebus gerendis consilia avide excipiebant; quamquam*

*quam ægre tanti Viri jacturam, quam proximam prævidebant, ferrent, plurimis, ac luculentissimis benevolentiæ significationibus demonstrarunt.*

III. Dignum plane notatu & illud est quod idem Quiros mox subdit in citata funebri Oratione, sic inquiens: *Voluit etiam Summus Pontifex Innocentius XIII. palam significare, quanto in honore, & pretio haberet Reverendissimum Patrem Dominicum Perez, dum ad illum propediem moriturum, Nuntium misit, qui ipsius nomine eum solaretur, & benedictione in articulo mortis donaret.* Demum, arthidrite invalescente, aliisque accedentibus morbis patientissime ab eo toleratis, obiit Romæ in Cœnobio Minervitano die 11. Martii anno MDCCXXIV. celebratisque solemni pompa exequiis, ut fieri assolet in Secretariorum Indicis Funere, Orationem in ejus laudem habuit memoratus F. Augustinus de Quiros Ordinis Prædicatorum, quæ eodem anno ex Typographia Komarek prodiit. Sepultus autem fuit in Ecclesia S. Mariæ super Minervam ubi etiam in memoriam tanti Viri posita fuit marmorea inscriptio, quæ est hujus tenoris.

D. O. M.
F. DOMINICO . PERESIO . MATRITENSI
ORD. PRAED.
THEOLOGO . COMPLVTENSI
CATHOLICI . REGIS . HISPANIARVM . ET . IMP. AVG.
A . CONCIONIBVS
FIRMI . IN . PICAENO . CAVSARVM . RELIGIONIS . CATHOLICAE
QVAESITORI
QVI . A . CLEMENTE . XI. PONT. MAX. ROMAM
ACCERSITVS
ET . SACRAE . INDICIS . CONGREGAT. A SECRETIS . DICTVS
MAGNVM . SIBI . NOMEN . COMPARAVIT
FF. PRAEDICATORES
SODALI . SAPIENTISSIMO . ATQVE . OPTIMO
POSVERVNT.
OBIIT . VI. NON. MART. ANN. MDCCXXIV.

## C A P. XVII.

### *De Fr. Aloyſio Nicolao Ridolfi Florentino, poſtea Sacri Palatii Magiſtro.*

I. Mortuo Perez die 11. Martii anno MDCCXXIV. ut in ſuperiori Capite dictum eſt, quod paulo poſt, nempe die VII. ejuſdem menſis, & anni mors contigerit Innocentii XIII. vacavit munus Secretarii Indicis ad electionem uſque novi Pontificis, electoque die XXIX. Maii prædicti anni MDCCXXIV. Benedicto XIII. ab eodem inſtitutus eſt Secretarius Indicis Pater Magiſter Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Florentinus nobili genere natus, Minervitani Cœnobii alumnus, cujus eximias virtutes, ac geſta egregia narravimus jam in Opere noſtro, *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici* Lib.II.Cap.LXVIII. Fuit enim deinde Ridolfius ad Magiſterium Sacri Palatii a Clemente XII. renunciatus, & in locum Fratris Joannis Benedicti Zuannelli in eo officio defuncti ſuffectus. Etſi autem de ipſo Ridolfio fuſe dixerimus citato loco, ubi & epiſtolam encyclicam Generalis Magiſtri ad univerſum ſuum Prædicatorum Ordinem de ejus obitu, & marmoream inſcriptionem in Templo Minervitano poſitam, & Orationem funebrem in illius exequiis recitatam, & inſigne privilegium eidem a Regnante Summo Pontifice BENEDICTO XIV. conceſſum deſcripſerimus, operæ tamen pretium ducimus, ſi non omnia, aliqua tamen ibi dicta, in præſenti repetere, ne quid in hoc Opere, quod Secretarios Sacræ Congregationis Indicis ſpectat, deſideretur.

II. Natus itaque eſt Romæ Nicolaus Ridolfius anno MDCLXXIV. ex Florentina gente Ridolfiorum, quam & antiquitas generis, & armorum, togæque ſplendor, & primariæ Eccleſiæ dignitates, & affinitates cum principibus familiis, ac præcipue iteratæ cum Corſinis, & Mediceis præſtantiſſimam efficiunt, & præclariſſimam. Adoleſcens Romæ in Cœnobio Minervitano Prædicatorum Ordini nomen dedit, ſolemnique emiſſa profeſſione, ſtudiorum cauſa

ad

ad Salmanticam celeberrimam Hispaniæ Academiam missus est; ubi quantum profecerit, satis illud declarat, quod reducem in Italiam idoneum jam, maturumque ad omnia Ordinis ministeria Superiores judicarint. Philosophiam, & Theologiam primum Florentiæ tradidit, æque magno auditorum concursu, atque progressu. Tum Romæ Moralem Theologiam, deinde veluti per gradus doctrina fultus, & ornatus conscendit; nunc Studiorum Præses renunciatus, nunc, ut dicunt, Baccalaureus, nunc secundus Theologiæ Lector, ac tandem Regens, qui supremus gradus est, apexque litterariæ dignitatis.

III. Huic tali tantoque Viro, cum assumtus ad Summi Pontificatus fastigium Benedictus XIII. Lauretanam Ecclesiam regendam destinasset, constantissime eam ipse recusavit, promotusque ab eodem Pontifice, qui Ridolfium summopere diligebat, ad Secretarii Sacræ Indicis Congregationis munus, explicari satis nequit, quanta diligentia munus ipsum exercuerit Ridolfius. Constat id plane ex variis mss. Codicibus manu illius summo labore, atque judicio descriptis, quibus Index generalis alphabeticus continetur omnium censurarum ac prohibitionum Librorum. In hoc Indice exhibentur primo omnes & singuli Libri prohibiti in Indicem relati, aut referendi; secundo omnes & singuli quoque Libri, qui proscripti fuerunt a Sede Apostolica ante annum MDXV. tertio denique Libri omnes qui denunciati, vel accusati fuerunt, vel aliqua censura affecti, tametsi damnati non fuerint. Opus sane spissum, ac laboriosum in VII. Tomos distributum, ac propria ejus manu, ut dictum est, scriptum, Secretariis omnibus Sacræ Congregationis Indicis usui & adjumento futurum nos ipsi vidimus apud modernum Secretarium ejusdem Sacræ Congregationis Reverendissimum P. Ricchinium.

IV. Teste eruditissimo P. Antonino Bremond in Præfatione ad Bullarium Ordinis Prædicatorum pag. LXIV. Opus ipsum jam ante illum Ridolfius susceperat, variaque Diplomata conscribenda curaverat, verum quod variis atque laboriosis negotiis Sacræ Congregationis Indicis, cu-

jus,

jus, ut dixi, constitutus fuerat Secretarius, esset immersus, curam illam deponere coactus fuit, testatur idem Bremond ubi ita inquit: *Opus istud*, Bullarium nempe Dominicanum, *edendum susceperat, & qua est diligentia, successu prospero maturabat, sed immersus Sacræ Congregationis negotiis, tot alia cingebant, premebant, urgebant ipsum, ut istius curam apud me deposuerit. Hinc eo Magistro sæpius usus sum, & tot hac de re beneficiis ipsi sum devinctus, ut nec enunciare quantum debeam, nec silere, quod ipsi plurimum debeam, possim*. Ita plane Vir ingenuus, ac profundæ doctrinæ, & spectatæ fidei Antoninus Bremond in citata ad Dominicanum Bullarium Præfatione, ut vel ex recitato tanti Viri testimonio intelligat quisque, ubi alia deessent elogia, quis & qualis fuerit Ridolfius.

V. Suas ob egregias dotes jam non modo Ridolfius acceptissimus fuit Benedicto XIII. qui eum Secretarium Congregationis Indicis creavit, verum etiam Clementi Papæ XII. qui eundem promovit ad Magisterium Sacri Palati Apostolici; quod quidem munus cum summa semper fide, diligentia, ac prudentia exercuisset. Regnans feliciter Pontifex BENEDICTUS XIV. Ridolfium ipsum & magni fecit, & insigni privilegio donavit, quod descripsimus nos in citato Opere, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. II. Cap. LXVIII. pag. 218. & seqq. Obiit tandem præstantissimus Vir VII. Kal. Maji MDCCXLIX. solemnique funere sepultus fuit in Templo Cœnobii S. Mariæ super Minervam, cujus erat alumnus, & amantissimus, ut testantur insignia beneficia Cœnobio ipsi, & Ecclesiæ ab eodem collata; unde non mirum, si ejus collegæ marmoream inscriptionem in perenne grati animi sui monumentum in eadem Ecclesia poni curarunt, quam in fine hujus Capitis referemus.

VI. Quis & qualis fuerit Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfius, seu Rodulfius Sacri Palati Apostolici Magister, abunde nos docet Oratio funebris de ejus vita religiosa, & rebus egregie gestis habita in Ecclesia S. Mariæ super Minervam, ubi in alto feretro Ridolfii cadaver jacebat sexto

Kal.

Kal. mensis Maji anno MDCCXIX. a Viro erudito P. Bernardo a S. Gulielmo Clerico Regulari Scholarum Piarum, quam nos operæ pretium duximus citato loco describere, ne lapsu temporis earum rerum memoria, quas prudenter gessit Ridolfius, sicut non paucis ejus prædecessoribus accidit, in oblivionem abiret. Redargui negligentia Dominicanorum posset, sed excusandi hi tamen, cum tot, ac tanti sint Prædicatorum Ordinis Viri illustres, ut ad scribenda illorum gesta vix multi Libri sufficerent. Sed hoc obiter dicto, lubet hic describere encyclicam Epistolam quam de ejus obitu scripsit ad universum Ordinem Prædicatorum Generalis Magister, quæ est hujus tenoris.

*In Dei Filio sibi dilectis Patribus, Fratribus, ac Sororibus Ordinis Prædicatorum.*

*FR. ANTONINUS BREMOND Sacræ Theologiæ Professor, ejusdemque Ordinis universi humilis Magister Generalis, & Servus.*

*Salutem, & mortis recordationem.*

*Etsi de dormientibus in Christo Fratribus contristari nos minime deceat, sicut cæteros, qui spem non habent, justus tamen est luctus, quem capimus sane ingentem ex illustrium Virorum interitu, qui cum sint nobis jure societatis, atque Instituti conjuncti, sublimi etiam, editoque in loco positi, latius quam in Ordinem, solum effundunt splendorem vitæ, lucemque virtutum. Quo quidem casu sumus non ita pridem perculsi, cum die vigesima quinta hujus mensis post diuturnam cum tabifico, lentoque morbo colluctationem ereptus tandem est nobis Reverendiss. P. F. Nicolaus Aloysius Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magister. Etsi ætate, nam annum agebat septuagesimum quintum, laboribusque confectus videretur, faciebat tamen Viri integritas, scientia non mediocris, moresque ad omnem legum nostrarum disciplinam compositi, ut diutius eum vivere cuperemus, quod amplissimo muneri gerendo non impar, eximio esset Familiæ nostræ ornamento, & splendori. Is illustri genere ortus, quo affinitate Medicæas, atque Corsinias Familias attingebat, præterquam quod fuerat libe-*

*liberaliter, pieque educatus, habebat etiam inter Majores nostros insignem, & perenni memoria dignum ex sua Familia Virum, quo posset ad præclara quæque agenda vehementer incitari, clarissimum nempe Nicolaum Ridolfium Ordinis nostri Generalem Magistrum. Hunc adolescens ad imitandum sibi proposuit, pressamque ab illo mature arripuit virtutis viam; quæ etenim liberaliter a Deo acceperat fortunæ; ac naturæ beneficia, eadem virili contemptu posthabuit, ut ab humanæ militiæ stipendiis ad Christi vexilla in nostris se se castris traduceret. Romæ itaque cum natus esset, in Ordinem cooptatus est, atque in Minervitano Cœnobio religiosæ vitæ tyrocinium posuit, quo rite absoluto, votisque Deo nuncupatis, ad celeberrimam Salmanticensem Academiam in Hispaniam studiorum caussa missus est, ubi Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit magna contentione, ac diligentia. In Italiam reversus impositum suscepit docendi munus, eoque Florentiæ primum, deinde Romæ ad supremum usque Regentis hujus nostri S. Thomæ Collegii gradum summa cum laude functus est. In eo vero, eum in cæteris muneribus ita doctrinam cum pietate conjunxit, ut studiorum ardor eum ab amore virtutum, ac religiosæ vitæ exercitationibus, distraxerit nunquam, vel abduxerit. Magisterii Lauream consequutus, in Sacra Indicis Congregatione Consultor fuit; sed paulo post cum ejus merita singularem apud omnes ei existimationem conciliassent, valuere in primis apud Principes Viros Vincentium Mariam Ursinium Ordinis nostri, & Laurentium Corsinium S. R. E. Cardinales, quorum uterque P. M. fuit, virtutisque æstimator æquissimus. Itaque a Benedicto XIII. primum ejusdem Sacræ Indicis Congregationis a Secretis, mox Recinetensis, ac Lauretanus Episcopus renunciatus est. Sed priorem ille dignitatem veluti domi partam, & a vitæ religiosæ consuetudine minime alienam non invitus accepit: Episcopalem ut acciperet, ne ab ipso quidem Promotore Pontifice, eodemque hortatore suaderi potuit, quod a suscepto vitæ instituto avelli non pateretur. At vero Johanne Benedicto Zuanel-*

*lio*

*llo Sacri Palatii Apostolici Magistro vita functo, summa omnium gratulatione eidem successor in amplissima dignitate a Clemente XII. designatus est. Utroque autem in munere praeconceptae de se expectationi apprime respondit, ac tanta fide, diligentia, zelo, integritate utrumque gessit, quam qui optime absoluteque gerere potuisset. Quicumque eo usi sunt, sensere candidum, sine fuco, recti, verique amatorem, ex uno aequitatis arbitrio omnia metientem, aperientemque sine simulatione animi sui sententiam. Eo autem ab omnibus, cumprimis vero a Sanctissimo eodemque sapientissimo Pontifice BENEDICTO XIV. commendatissimus fuit, quod in Apostolico Palatio ita versaretur, ut in domestico Coenobio, nihil in victu, & vestitu, & omni reliquo vitae apparatu unquam admittens, quod non religiosam exhiberet modestiam, temperantiam, paupertatem. Fuit enim semper severioris disciplinae amantissimus servator, & custos, atque in omni vita perfectissimam ejus formam expressit. Cum ea vero severitate summam adjunxit morum facilitatem, & contra ac species exterior subaustera polliceretur, religiosam in omnes comitatem, ut externis juxta ac domesticis hoc nomine probatissimus foret. Jam vero in supremo morbo nullum praetermisit Christianae pietatis officium, quo se ad aeternitatis iter religiosissime compararet. Nam omnibus Ecclesiae Mysteriis semel iterumque, cum brevi convaluisse videretur, magno Fidei, & Charitatis ardore petitis, iisdemque rite initiatus, divinae se se prorsus voluntati, suaque omnia, de quibus ex Pontificio Indulto Testamentum scribere potuisset, Magistri Generalis arbitrio permittens, quantum ex anteacto vitae cursu conjicere licet, ad laborum, virtutumque suarum praemia placidissima morte migravit. Reliquum est, ut qui ob egregia in Ordinem nostrum merita maximum reliquit desiderium sui, eidem, quod unum superst, mutui amoris, pietatisque subsidiis opitulemur. A vobis itaque ea Sacrificia, & precationes, quae more, instituteque Ordinis nostri denatis Magistris Sacri Palatii impendi debent, enixe pro ejus anima flagitamus, ut elu-*

*tis, si quæ illi hæserint, mundani pulveris sordibus, perennis vitæ beatitatem quamprimum assequatur. Jam vero domesticis eruditi casibus, ac funeribus moniti, recogitate Fratres, quod* præterit figura hujus Mundi, *appropinquat autem, ac latenter festinat dies illa, quæ* cum advenerit, vanitatis arguentur præterita. *Cavete, ne incautos vos occupet, atque imparatos. Vivite ergo quasi quotidie morituri; tanto enim securius extremam horam videbitis, quanto diligentius eam timendo prævenietis. Valete Nostri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus vestris.*

*Datum Romæ ex nostris Minervitanis Ædibus die* 27. *Aprilis* 1749.

VII. Obiit Ridolfius VII. Kal. Maji anno MDCCXLIX. solemnique funere sepultus fuit in Templo S. Mariæ super Minervam, cujus erat alumnus, & amantissimus, ut testantur insignia benificia Cœnobio ipsi, ac præsertim Bibliothecæ, & Ecclesiæ ab eodem religiosissimo Viro collata. Unde non mirum, si ejus Collegæ marmoream inscriptionem in perenne grati animi monumentum, in eadem Ecclesia poni curarunt, quam nos & hoc loco describimus, estque sequentis tenoris.

D. O. M.
FR. ALOYSIO . NICOLAO . RODULPHIO
FLORENTINO
ORDINIS . PRAEDICATORUM
SACRAE . INDICIS . CONGREGAT. A . SECRETIS
ET . SAGRI . PALATII . APOSTOLICI . MAGISTRO
VIRO . OB . EGREGIAM . VIRTVTEM
REM . QVE . IN . VTROQVE . MVNERE . FVNGENDO
BENE . GESTAM
BENED. XIII. CLEM. XII. ET BENED. XIV.
PONTIFICIBVS . MAXIMIS . ACCEPTISSIMO
FF. PRAEDIC. COENOBII . S. MAR. SVP. MINER.
COLLEGAE . BENEMERENTI . FECERVNT
OBIIT . VII. KAL. MAII
AN. MDCCXLIX. AETATIS . LXXV.

CAP.

## CAP. XVIII.

### *De Reverendissimo Patre Fr. Josepho Augustino Orsi Florentino, nunc Magistro Sacri Palatii Apostolici.*

I. Assumto ad Magisterium Sacri Palatii P. Magistro Fr. Aloysio Nicolao Ridolfio, die 1. Decembris anni MDCCXXXVIII. a Clemente Papa XII. renunciatus est Secretarius Indicis Pater Magister Fr. Josephus Augustinus Orsi Florentinus Congregationis S. Marci alumnus, de quo jam diximus in Opere nostro, *De Magistro Sacri Palatii Apostolici*, Lib. II. Cap. LXIX. Ob eandem rationem superius non uno in loco allatam censuimus & hoc loco repetere, quæ de tanto Viro in citato Opere scripsimus. Ergo Orsius postquam Florentiæ Grammaticam, Rhetoricam, Philosophiam didicisset, adolescens nomen Ordini Prædicatorum dedit Fesulis in Cœnobio S. Dominici, quod ad Florentinam S. Marci Congregationem pertinet, anno MDCCIX. Confecto studiorum curriculo biennio Philosophiam, & deinde plures annos Theologiam summa cum laude, atque ingenti discipulorum progressu docuit in celeberrimo S. Marci Cœnobio, ubi viget ejusdem Congregationis Studium, quod Generale appellant.

II. Quum anno MDCCXXX. eidem Cœnobio præesset, multos præstantes ingenio juvenes in Ordinem cooptavit; eodemque ferme tempore cum Pontifex Maximus electus esset Cardinalis Laurentius Corsinius, qui Clemens Papa XII. dictus est, ejus Nepos Nerius Cardinalis Corsinius Orsium Romam adscivit, suumque Theologum dixit. Degebat autem in Conventu S. Mariæ super Minervam ubi anno MDCCXXXII. Cathedraticus Casanatensis est factus, Summamque Theologicam S. Thomæ in eo Collegio docte atque erudite explicavit ad annum usque MDCCLXXXVIII quo Nicolaus Ridolfius, qui Secretarius Sacræ Congregationis Indicis erat, ab eodem Clemente creatus Sacri Palatii Apostolici Magister fuit, & Orsius eidem jussus est in Indicis Congregatione succedere. In eo munere perseve-

 ravit

ravit ad annum usque MDCXCLIX. quo, mortuo Ridolfio, a Papa BENEDICTO XIV. qui feliciter regnat, factus est Magister Apostolici Palatii.

III. Inter has occupationes, & munera, nunquam a scribendo cessavit. Nam primo edidit Librum inscriptum: *Dissertazione Dommatica e Morale contro l'uso materiale delle parole*. Romæ MDCCXXVII.

Dissertationem Apologeticam pro SS. Perpetuæ Felicitatis,& Sociorum Martyrum Orthodoxia contra Samuelem Basnagium, qui in suis Annalibus hos Martyres Montanistarum partibus addictos fuisse contenderat. Eandem Sententiam secuti fuerant Auctores Actorum Eruditorum Lipsiæ, qui nihilominus hujus Dissertationis optimum specimen in suis Actis ediderunt. 4. Florentiæ MDCCXXVIII.

Post cum Anonymi quidam opinionem Caroli Ambrosii Cattanei, *De usu Materiali verborum*, defendendam suscepissent, Orsius superiorem Dissertationem defendit, alteramque edidit hoc Titulo: *La causa della Verità sostenuta contro l'Anonymo Apologista del P. Carlo Cattaneo*. 4. Mediolani. Descripsit quoque Librum, cui Titulus: *Dimostrazione Teologica &c.* 4. Mediolani MDCCXXIX.

Sunt aliæ quatuor ab eo scriptæ Dissertationes, quarum prima inscribitur: *De capitalium criminum Absolutione per tria priora Ecclesiæ sæcula*. Cujus mentionem faciunt Acta Eruditorum Lipsiæ. 4. Mediolani MDCCXXX. Altera: *De invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium*. 4. Mediolani MDCCXXXI. Tertia: *De Baptismo in Nomine Christi, & de hæreticis, qui Baptismi formam adulterarunt*. 4. Mediolani MDCCXXXIII. Hanc defendit scripto Libro, cui Titulus: *Vindiciæ Dissertationis de Baptismo in Nomine Christi a Sorbonici Doctoris objectis*. 4. Florentiæ MDCCXXXV. Quarta est: *De Chrismate Confirmatorio*: 4. Mediolani MDCCXXXIII.

Scripsit deinde *de Petri a Soto, & Judoci Ravesteyn de Concordia gratiæ, & liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari disputatione Librum Apologeticum, quo Soti doctrina a recentis historici censuris vindicatur*. 4. Romæ

*De*

*De Irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei Controversiis Auctoritate*, volumina tria edidit Romæ anno MDCCXXXIX. itemque alia duo, *De Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas, earumque Canones potestate*. Ibidem MDCCXL.

Hujus Operis compendium concinnavit, atque edidit hoc Titulo: *Dell'Infallibilità, e dell'Autorità del Romano Pontefice sopra i Concilj Ecumenici*. Tomo II. in 12. Romæ MDCCXLIX.

Huic accessit: *Dell'origine del Dominio, e della Sovranità temporale de' Romani Pontefici*. 12. Romæ MDCCXLII.

Scribit nunc idem doctissimus Auctor varios Tomos, quibus Ecclesiasticam Historiam a primordiis Christianæ Religionis ad hæc usque tempora Italico Idiomate enarrat, editique sunt jam Tomi VIII. in 4. summo plausu excepti, ut iccirco opus fuerit aliam ejusdem egregii Operis editionem adornare in 12. quo multorum desiderio fiat satis, qui Historiam ipsam eruditione mirabili, atque insigni pietate, & Christiana unctione refertam expetunt.

## CAP. XIV.

### *De Reverendissimo Patre Fr. Thoma Augustino Ricchinio Cremonensi.*

I. Reverendissimo Patre Fr. Josepho Augustino Orsi ex Secretario Sacræ Congregationis Indicis in Magistrum Sacri Palatii a BENEDICTO XIV. Pontifice feliciter regnante, ut in Capite præcedenti dictum est, electo, idem Pontifex eadem die in ejus locum suffecit, ac Secretarium prædictæ Congregationis creavit Reverendissimum Patrem Fr. Thomam Augustinum Ricchinium Cremonensem, qui ab ipsa pueritia politioribus litteris egregie excultus in Ordinem Prædicatorum quindennis admissus est anno MDCCX. Solemni emissa professione tametsi adolescens, graviora studia semper cum eloquentia, & eruditione conjunxit, quorum varia adhuc juvenis specimina evul-

evulgavit recensita a Viro Clarissimo Francisco Arisio Historico Cremonensi Tom. III. *Cremonæ literariæ* pag. 312. ex quo pleraque hausimus, quæ de illo scribimus. Plures habuit varii argumenti cum sacras, tum Academicas orationes Litteratorum plausu exceptas, & Cremonensis Arcadum Coloniæ unus e fundatoribus fuit, cum jam Romanæ foret antea Arcadiæ adscriptus sub pastorali nomine *Gesultis Scandey*.

II. Poeticis involucris jam non adeo fuit addictus Ricchinius, ut vel adolescens solidiora studia negligeret. Tantum enim in iis profecit, ut Philosophiam, Theologiamque in clarioribus Provinciæ utriusque Lombardiæ Cœnobiis ad plures annos perlegerit, ac Generalis sui Ordinis Studii Bononiensis Moderator Baccalaureus institutus fuerit, non exiguo juventutis sibi disciplinæ traditæ emolumento. Nam relicta sterili, ac pure Scholastica docendi methodo, uberiores purioresque eruditæ Theologiæ fontes eidem reseravit, atque utilissima de Theologiæ studio recte instituendo didascalia indicavit, ac docuit, quibus præsidiis instructum esse deceat, quem Auctorum delectum facere, quam viam insistere, quid cavere debeat is, qui ad veram, suisque numeris omnibus absolutam Theologiam contendit.

III. Magisterii Theologiæ lauream consequutus, quod profunda eruditione rerum præsertim Ecclesiasticarum polleret, Patri F. Josepho Ludovico de Andujar ejusdem sui Dominicani Instituti insigni Theologo, & Viro undequaque docto, nunc Episcopo Derthonensi adjunctus est, ut una cum eo esset a Studiis Benedicti XIII. In Pontificium Palatium adscitus, ita ibi commoratus est, ac in Cœnobiis religiosioribus mansisset, uni intentus studio, ac notitiis Ecclesiasticis præparandis, aliisve rebus peragendis juxta præscriptum Pontificis. Quanti autem Ricchinium fecerit Benedictus, vel ex eo addiscimus, quod adhuc juvenis ab eodem approbatus fuerit ad gradum Regentis Generalis Studii Bononiensis, uti videre est in Constitutione CXXX. laudati Pontificis, quæ incipit, *Accedente*, data die

die xxviii. Januarii mdccxxx. legiturque Tomo vi. Bullarii Dominicani, pag. 799.

IV. Mortuo Benedicto XIII. delectus fuit Ricchinius a Sacro Cardinalium Collegio, ut in Vaticana Basilica, ubi solemnes tanti Pontificis exequiæ celebratæ fuerunt, funebrem laudationem haberet, quæ mox edita fuit Romæ anno mdccxxx. tum Ferrariæ, & alibi, ejusque cum laude meminerunt Joannes Baptista Pittonius in Vita Benedicti Papæ XIII. Italice edita Venetiis, & inter alios Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus in ejusdem Pontificis Vita Latine scripta, ac Romæ impressa anno mdccxli. Alteram quoque non minus elegantem Latinam orationem habuit in funere Victorii Amedei II. Sardiniæ Regis, quæ prodiit Cremonæ anno mdccxxxii. de qua, aliisque ejus opusculis editis, vel edendis, videri potest Arisius in superius laudato Opere.

V. A Magistro Generali Ordinis sui Prædicatorum Patre Fr. Thoma Ripoll, dum ille Patrio Cœnobio præesset, Romam evocatus anno mdccxl. institutus Socius, seu Assistens Generalis pro Italiæ Provinciis, summa fide, ac diligentia, munus illud exercuit, meruitque, ut mox Collegii Casanatensis Theologus crearetur. Dum utroque munere naviter, ac diligenter fungeretur, multa scripsit eleganter, & erudite, atque in primis Venerabilis Monetæ Cremonensis e primis S. Dominici Ordinis Prædicatorum Institutoris alumnis Libros quinque adversus Catharos, & Valdenses ex mss. Codicibus erutos, atque a se doctissima Præfatione, ac Notis illustratos Romæ edidit ex Typographia Palladis anno mdccxliii. Quod quidem Opus non sine animi voluptate totum mandante Sacri Palatii Magistro percurrimus, probavimusque, admiratique sumus immensam, omnigenamque Scriptoris eruditionem.

VI. Scripsit & alia opera Ricchinius ediditque, nempe Commentarium de vita & studiis Cardinalis F. Vincentii Ludovici Gotti; itemque Dissertationem de S. Alberto Confessore Bergomensi tertio Ordini S. Dominici adjudicando, & Commentarium de ejusdem Vita & cultu. Plures

res demum Latinas easdemque graves epistolas scripsit nomine Magistri, aut Vicarii Generalis ad universum Ordinem variis temporibus, variique argumenti, singulari elegantia, nitore, pietate, ac doctrina refertas. Unde non mirum si Regnans feliciter Pontifex Maximus Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. qui Ricchinii opera, & studio jam pridem usus fuerat, Virique ingenium, diligentiam, ac fidem probaverat, assumto ad Magisterium Sacri Palatii Apostolici Secretario Sacræ Congregationis Indicis Reverendissimo Patre Fr. Josepho Augustino Orsi, in ejus locum Reverendissimum Ricchinium suffecerit, & Secretarium prædictæ Congregationis ultro designaverit, plaudente Urbe, & Litteraria Republica, cui perspecta semper fuit solida Ricchinii doctrina cum summa prudentia, & pietate conjuncta.

VII. Secretarius Congregationis Indicis constitutus Ricchinius, morem prædecessorum suorum sequutus, omnem mox operam suam, ac diligentiam adhibuit, ut munus ipsum pro dignitate exerceret, summaque fide exequeretur quæ Cardinales Sacræ Indicis Congregationi præpositi illi mandarent. Verum quod ipsi Cardinales pro sua, quam in Libros perniciosos habent, auctoritate, Bibliothecam Jansenianam proscripsissent, Decretumque de ea re edidissent, quod pro suo munere subscripsit Ricchinius: larvatus quidam Doctor Sorbonicus ægreferens hujusmodi Decretum, epistolam, seu potius Libellum famosum scripsit, Ricchiniumque non modo perperam sugillavit, sed etiam Cardinales dictæ Congregationi præpositos, atque ipsum, proh nefas! Romanum Pontificem Maximum. Sed agendæ gratiæ Romano Philalethi, qui in epistola sua quam ad Theologum Lovaniensem scripsit de justa Bibliothecæ Jansenianæ proscriptione, a Sorbonici Pseudodoctoris calumniis Ricchinium, Cardinales, atque Pontificem egregie vindicavit.

*FINIS.*